G f G 22
b

63482/B

M d/19

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

WOLFIUS, I

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30550907

T8

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

IDO WOLFII

SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINI CHIRURGI,

OBSERVATIONUM CHIRURGICO-MEDICARUM

LIBRI DUO,

Cum

SCHOLIIS ET VARIIS INTERSPERSIS HISTORIIS MEDICIS

editi

a

JOANNE CHR. WOLFIO,
Medicinæ Doctore.

QVEDLIMBURGI,
Sumptibus THEODORI PHILIPPI CALVISII,
Prelo JOANNIS GEORGII SIEVERTI.
Anno 1704.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

D^N. JOHANNI AUGUSTO,

PRINCIPI ANHALTINO, DUCI SAXONIÆ, ANGRIÆ atq; WESTPHALIÆ, COMITI ASCANIÆ, DOMINO SERVESTÆ & BERNBURGI, JHEVERÆ & KNIPHUSII,
&c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.

NIſi Herculi cum Muſis quædam intercederet neceſſitudo, dubio plane animo hæſiſſem, an Librum hunc Obſervationum Chirurgico - Medicarum Tuo Celſiſſimo Nomini inſcriberem: Non enim politicum aut hiſtoricũ tractat argumentũ, ſed medicũ. At vero M. Fulviũ Nobiliorem ſigna omniũ Camoenarũ ex Ambracenſi oppido Romam translata ſub tutela fortiſſimi Numinis conſecraſſe didicimus: Non itaque dubitavi ad pedes Principis cum Muſis familiarisſime converſantis etiam Medica deponere. Expresſit benignisſimus Deus in Te imaginem Optimi Principis, ut nemo non dignitatem, & ad quæ natus es, ex oculis legat. Inde eſt, quod maximis Regibus charisſimus fueris & hodienum ſis; Æqualibus actiones Tuæ tanquam ſpeculum virtutum eſſe posſint; Inferioribus vero vitæ inſtituendæ norma ſint, hique elaborare debeant, ut tanto Principe dignos ſeſe ge-

gerant. Tanta ſcilicet Tibi, Sereniſsime Princeps, concordia, tantusque concentus omnium laudum, omnium virtutum, omnisque gloriæ contigit, ut, quod Plinius prædicabat de Trajano, nihil ſeveritati tua hilaritate, nihil gravitati ſimplicitate nihil majeſtati humanitate detrahatur. Jam enim firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris longe lateque Principem AUGUSTUM oſtentant. Non allegabo multum de bonitate Tua, quam omnes cives in Te, Princeps Optime, contentione veluti quadã amant & diligunt. Inter maxima DEI beneficia jure numeratur bonus Princeps, quando ſubjecti cives inter hunc & Patrem bonum nullam experiuntur differentiam, & hic in ſinu cujusque ſubditi tuto dormire poteſt. Habuit patria in Avo Tuo beatiſſimo, ne longius progrediar, Patrem benigniſsimum, & nunc in Patre Tuo Sereniſsimo Principe gaudet indulgentiſsimo utinam quam diutisſime! Tuæ autem clementiæ, AUGUSTE Illuſtriſsime, quotidiana habent documenta omnes cives, Tibique beneficiis potius, quam remediis ingenia eorum experiri placet, & certi ſunt, ſe rectum quidem iri aliquando a Te, & ſubjectos Tibi, ſed quemadmodum legibus, fore. Quaſi vero populus absque erudito & docto Principe commode ſatis regi nequeat, ita in ſtudia a prima juventute tota mente incubuiſti; eaq; eo perduxiſti, ut eruditi tempus non melius collocare in hunc usq; diem crediderint, quam ſi Tecum converſari per Tuam humanitatem ipſis liceat: Sum̃a proinde autoritate judiciis præſides, & de patriæ commodis ſerio deliberas. Nec tamen hæc ſevera ſtudia Te, Princeps Eruditiſsime, totum habent, ſed amœniora

etiam partem diei ſibi vendicant. Si itaque eventus rerum humanarum medicos oculis Tuis Sereniſsimis expono, & in devotiſsimæ ſubjectionis fidem humillime conſecro, non inique me facturum eſſe confido. Optarem equidem aliorum Perſona Tua Celſiſſima digniorum mihi eſſet copia, ut quanta religione pro gratia illa atque clementia in me civem tuum ſubjectiſsimum domi foriſque benigniſsime collata obſtrictus ſim publice teſtari queam: Sed nec thus nec vinum habeo, adeoque lac & molam ſalſam, quod Diis quondam non ingratum fuiſſe accepimus, devotiſsima mente offero. Suſcipe igitur, Princeps Clementiſsime, ſerena fronte hoc ſubmiſſiſſimi obſequii & gratiſſimi animi teſtimonium, & ſtudiis meis benigniſsime fave. Det Tibi, Princeps Sereniſsime cum Celſiſsima Conjuge, Deus Optimus Maximus ætatem quam mereris, ſervetque animum quem dedit. Nec ego unquam pro omnigena felicitate quotidie ardentiſsima vota facere intermittam. Quedlimburgi die tertio Martii. Anno Chriſti MDCCIV.

SERENISSIMO NOMINI TUO

Devotiſſimus & ſubjectiſſimus

Jo. Chriſt. Wolff.

PRÆ-

Præfatio ad Lectorem.

TEſtata eſt, & omnimode etiam evicit erudita Antiquitas, omne fere ſcriptum, non modo ſerium caſtum & eruditum, de quo nemo facile dubitat, ſed etiam quam vanum, ludicrum, imo obſcœnum vel fictum a ſeveriori morum & doctrinæ caſtigatore haberi poſſit, commodis humanis admodum inſervire atque conducere: Quin imo confirmat hoc quotidiana obſervatio & rerum eventus. Sic quos hiſtrionibus aut mimis aptos judicaſſes, non tantum Laberium Decimum & Publium Syrum, ſed certo reſpectu etiam Terentium & Plautum, illi ad elegantiam ſermonis monſtrant viam, & ad eum caute inſtituendum actionesque dextre formandas oſtendunt præcepta, & ſalutaria ſuppeditant conſilia. Ex antiquis vid. Cicero *de Offic.* L. I. *p. m.* 29. *de Amicit. p.* 142. Gellius *Noct. Att.* L. XVI. c. VII. & L. XVII. c. XIV. Ex Recentioribus vero ſi laudatores horum allegarem charta fere deficeret, ita eruditis eorum ſcripta, ſententiæ etſ. placuerunt. Catullum, Tibullum, & Propertium minus caſte ſæpius locutos eſſe, & Petronium Arbitrum nequiſſimos mores ſuæ ætatis omni procul pudore dictione tamen terſa & eleganti perſtrinxiſſe, vid. Catullus *Carm.* XVI. & Clariſſ. Fabricii *Bibliotheca Latin. p.* 80. & paſſim multa utilia & ad vitam recte inſtituendam tradere præcepta nemini fortasſis ignotum.

Poetas ad unum fere omnes, & fabularum Scriptores chymæris ſuis & fabulis forte ad ſuperſtitioſas relegaſſes vetulas, vel inſomniorum deliramenta, aut imaginationem læſam dixiſſes, niſi ſaniores interpretes omnem, tam ſacram quam profanam hic recondi

ſcien-

ſcientiam ſtudioſe annotaſſent. vid Plutarch. de *Iſid.&Oſir.p.m.*61. Pighius *Hercul.Prodic.p.* 52. Borrichius *de Ort. & Progreſſ. Chym. p.* 134. Phædrus *proem.Libri tert. Fab.1.* Imprimis hic conſulendus eſt Illuſtris Verulamius, qui Libro aureo de Sapientia Veterum fructus haud contemnendos ex fabulis decerpit atque colligit. Paucis ut multa complectar, vim habent fabulæ permagnam ad excolendos animos, ad mores emendandos reprehendendum tergiverſantes, docendum informandum & illuſtrandum. Edidit recentior ætas libros, vulgo Romans dictos, undique narrationibus fictis plenos, quos non injuria prolem genuinam Antiquitatis dixeris. Ortum enim ab Ægyptiis Arabibus. Perſis & Scythis ducunt, quos populos hieroglyphicis delectatos fuiſſe, notiſſimum eſt, & ex Clearcho, Jamblichio, Heliodoro, Luciano etſ. fuſius probat eruditiſſimus Huetius eleganti de origine Fabularum Romanenſium Libro. His phantaſia humana ludit quidem, aſt non illuditur. Videas quippe prudentiæ & doctrinæ fructus hinc ut ex Politicorum aliorumque ſcriptis depromendos.

Imo quid magis exoſum aut certo reſpectu vanum apparet Eruditis ipſa Alchymia? quam ſpem paupertatis, divitiarumque phthiſin, magnificum conceptuum ædificium, & pretioſum fumorum laboratorium non male appellares: Si etenim eſt inſomnium, ſi delirium ſi figmentum, ſi dolus, ſi fraus, ſi tandem impudentia aut affectus eſt, omnia in hac tanquam Pandoræ pyxide incluſa reperies, quibus homines ſplendide ſæpius decipiuntur. (De plurimis autem loquor ejus ſcriptoribus, & proceſſuum venditoribus, non vero adeptis veris, qui interiora Naturæ ſerio perluſtrantes, hujus methodum ſequuntur, & purum ab impuro ſeparare vere ſciunt, adeoque ipſam metallorum exaltationem.) Abſit tamen ut nullos hinc in Rempublicam & Medicinam uſus redundare affirmem. Oſtendit nunc pharmacopolium medicamina, quæ antiquitas non novit, nec rationis hæc inventa ſunt, calculum tamen ut addat vel invita cogitur. Ita per errores etiam incrementa ſumſerunt ſcientiæ!

tiæ! Neque dubitandum eſt, quin, ſi errores hi & producta præter intentionem nata fideliter annotarentur, & publice communicarentur, ulteriores longe fecerit progreſſus & vulgaris & ſecretior Chymia; dum ſcopulos, ad quos alii naufragium fecerunt, evitare doceret, nemo autem (in hoc præprimis opere) præſtantior artifex, quam qui per errores doctus ante quod caveret, quam quod faceret vidit, juxta Barclajum *Satyr. P.* I. *p.* 55. Sed hæc in tranſitu. Chymia quæ alias tantum hærebat in cortice, ac per devia ducebat, iſta adjuta luce ſua radiat, ut ſolutionem, fuſionem, ſublimationem coagulationem, cryſtalliſationem, præcipitationem, vitrificationem etſ. debite admireris, atque ad interius metallorum examen, affinitatisq; eorum ſcrutiniũ viam etiam monſtratam & occaſionem ſuppeditatam non invitus fateri debeas. Quid? quod ipſe Alchymiæ effectus ad omnem artificis officinam ferme penetrarit. Ut cætera per ſe nota & ubivis obvia conſulto jam prætereaṁ.

Cæterum ſunt etiam libri, quibus Autores nomine tantum ſuo vel laudem & pretium, vel contemtum pariunt. Ea ſcilicet eſt quorundam Autoritas, ut nihil ſcribere vel edere in lucem credantur, niſi quod eruditum, politum, inſigne & acceptiſſimum ſit. Aliorum vero nomen vel incelebre eſt, vel antea quidem celebratiſſimum nunc tamen minus clarum aut in pretio eſt; unde rurſus homines in eam veniunt opinionem, vel ſolo audito Autoris & Libri nomine, inutile, minus elaboratum, obſoletum, vel ſimplicem antiquitatem ſapiens eſſe ſcriptum. Experimur tamen, & fallere tales & falli atque ex præcipiti tali judicio innumeros pullulare errores. Non placet ire per exempla, quorum alias magnus numerus in evidentiſſimum teſtimonium cedere poſſet. Aſſenſum tuum B. L. quin mihi hic pollicear, parum abeſt. Claritas quippe iis ineſt & evidentia; imo vereor, ne juſtó prolixior fuerim in re, cujus nullus forte doctiorum contrarium rigoroſe ſuſtineat.

Verum enim vero non de nihilo ſunt, quæ partim tacta ſuperius fuerunt. Neque unius rei idem ſemper eſt eventus. Si quem

 eru-

eruditum noſti ex ludicro & ancipiti ſcripto, non deerunt tamen, qui geſtus moresque hiſtrionum in modum componere diſcant, & prudentiæ loco animum indifferentem, ut vocant, ad quævis, id eſt, callidum verſutum, doloſum atque aſtutum arripiant: Sicque pro captu aut genio, quod dicitur, lectorum habent ſua fata libelli. Etenim ſemen pro loci ſolique diſcrepantia mox ſapidos, mox inſipidos & acerbos profert fructus & arbòr eadem ratione metamorphoſin patitur: Non aliter fere cum humana natura comparatum eſt, quæ ſæpe ſpinas loliumque roſarum loco colligit. Ineſt præterea homini tanquam malum immedicabile ad mala propenſio, eo magis indies increſcens quo flexilior, ut cum cera conferri poſſit, ejus eſt animus. Hinc tandem eſt, quod integrioribus libris aſſueſcere nequeat; ſed quando ad illos ejusmodi veniunt lectores, dente theonino quod rodant anquirunt, aut ſi nihil vere obſervent, malos, quæ malitiæ praxis eſt, calumniis reddere, debitoque honore defraudare conentur.

Quem enim fugit, ipſam Philoſophiam, quæ eundem ac lumen revelatum agnoſcit Autorem, & de cujus viribus atque præſtantia ipſi Ethnici in Chriſtianorum opprobrium teſtimonium perhibent, teſte epiſtola Pauli ad Rom. II. v. 14. tot paſſam eſſe dicteria & convicia, ut illius ignarus Hippocentaurum ſibi imaginaretur, aut Atheiſmi & vitæ diſſolutæ fontem crederet. Et ipſa Matheſis, quæ parem in demonſtrando doctrinam non invenit, malevolorum experta eſt turbam, qui famam & merita ejus lacerare audent. Quid Anatomia, Pharmacia, imo tota Medicina ferre debuerit, qualesque & quantos habuerit irriſores & contemtores, notius eſt, quam ut multis inſerendum cenſeam. Hoc tamen publice dolendum, illos, qui honorem Medicinæ illiusq; evidentiã aut certitudinem, inventorumq; utilitatem & promovere & augere & firmare deberent, ſui penitus fere oblivisci, atq; vel ipſos hanc divinã ſcientiam deprimere, vel aliis tela ſubminiſtrare, quibus eam e throno dejicere ſuſcipiant. Hinc non tantum ipſe vaſorum accura-

tior ſitus, ſtructura & figura, ſed vaſorum lacteorum & lymphaticorum etſ. inventiones, uſus valde exigui, &, ſi Diis placet, non majoris quam Lunæ macularum theoriam eſſe vultu ad gravitatem compoſito perhibent. Neque hic ærumnarum finis, ipſa Therapia, quæ tamen ſanitatem, quam poſcimus omnes, reſpicit, citra meritum traducitur. Atque eadem quoque fata, ima pejora Chirurgiam manent, partem Medicinæ certiſſimam, luculentiſſimam & maxime neceſſariam; quæque ſola nomen Medicinæ geſſit antiquitus, ut refert Petræus *Enchirid.Chirurg.cap.I.p.*1.Cornelius Agrippa eam infamem appellare *de Vanit.Scient.cap.*LXXXV. non erubeſcit, & a Prudentio Carnificibus Chirurgi comparantur, vid. Doctiſſimus Rhodius *de acia p.m.*139. & 141. Videas & nunc Chirurgos, libros Chirurgicos aque Chirurgis ſcriptos exigui apud multos eſſe pretii, quod eorum ſcientia maximam partem ſi non plane credatur empirica. Ubi quidem fatemur, Chirurgiam a multis non ita excultam eſſe aut excoli, prout neceſſum eſſet: Protulit tamen omne ævum Chirurgos, qui artem ſuam & ſcientiam probe excolere & in uſum proximi prudenter exercere, nihil omiſerunt. Ut adeo in genere de Chirurgis abjecte ſentire, præcipitantia ſit, proxima ad errores via: Tales autem ſibi non tantum errant, ſed aliis erroris cauſæ ſunt & autores, juxta Senecam *de vit. beat. cap. I.p.*29. Sæpius autem hæc ſententia locum invenit: Ars non habet oſorem aut irriſorem niſi ignorantem. Illis igitur ſi ſcientias ſuperius memoratas & omnem medicinam commendarem oleum perderem & operam. Peritis non ignotum eſt, Anatomia nihil curioſius, nihil admirabilius, nihil utilius, Therapia & Chirurgia nihil ſalutarius dari. Sed hæc longius pluribusque nunc demonſtrare & deducere non vacat, nec locus eſt. Ad rem potius ipſam progredior.

Offero Tibi B. L. librum Medico-Chirurgicum maximam partem cruentis repletum hiſtoriis, quas pro dexteritate & virili Parens meus νῦν ἐν ἁγίοις conſcripſerat. Quamvis autem tanto me

ſupercilio natura inſtruxerit nunquam,ut hoc opuſculum laudibus exornem, nec ante, citra arrogantiam illud, quam evolveris inter bonos libros locum vendicet: Qua tamen occaſione natum ſit, ut commemorem, temperare mihi nequeo. Erat Parens meus beate ante novennium, & quod excurrit, defunctus honeſtis Parentibus in Comitatu Oldenburgenſi in initio ſuperioris ſeculi natus, a primis ſtatim annis ſedulo humanioribus literis deditus increſcente ætate totum ſe Chirurgiæ, parti Medicinæ antiquiſſimæ, præprimis quod Patrem habebat Chirurgum, conſecravit, & Anatomiam artis illius proram atque puppim non inſuper habuit, ſed ſemper fideliter excoluit, cujus ſtudium inter multos Chirurgos noſtri & præteriti temporis avis eſt rariſſima. Prima cum poſuiſſet artis fundamenta, præcipua ejus cura fuit ad exteras regiones & peritos Præceptores, tanquam ad mercaturam bonarum artium proficiſci. Hinc parte inferioris Saxoniæ perluſtrata, Daniam (quod tota Germania bello undique ardebat) Prusſiam, Poloniam & Moſcoviam adiit, præſtantisſimosque Chirurgos ſcientia & manu promtos conquiſivit, ex iisque ſalubria præcepta avidiſſime hauſit. Reverſus ad ſuos diu ibi ſubſiſtere non potuit, ſed potius diſcendi cupiditate porro allectus novum iter ſuſcepit primum in Belgium, deinde Angliam, hinc Galliam, ibique Chirurgi caſtrenſis munere per aliquot annos functus eſt. Hiſce autem in regionibus diſcendi occaſio ipſum non deſeruit, quin potius lux maxima in Anatomia ejusdemque praxi & Chirurgia manuali, tum in ſubjectis demortuis, quatenus ipſi ſectionibus in Noſocomiis alibique intereſſe licuit, & ipſe eas inſtituit, tum in viventibus, quatenus illa Ophthalmiam, Lithothomiam, Fœtus mortui extractionem ex utero, luxationes, fracturas artuum etſ. reſpicit, affulſit. Quemadmodum enim omnium peregrinationum finis eſſe debet, ita & b. Parentis ille fuit, ex regionibus, uti magnus Bartholinus *de peregrin. Med. pag.* 7. loquitur, dulcisſima exſugere, & a ſapientibus illa mutuari, quæ & mo-

res

res inſtruant,&utilis doctrinæ cumulum augeant.Denique in patriam redux factus,Deo volente, inter miniſtrosSerenisſimi atqueClementiſſimi Principis, ac Domini, Domini JOANNIS,Principis Anhaltini &c. &c. receptus Chirurgi perſonæ ejus munere functus eſt. Qua conſcientia & induſtria negotia ſua peregerit, illi dixerint, qui beatum intimius noverunt. Hoc ſimul allegare refert, poteſtatem ipſi conceſſam fuiſſe variis mederi & adſtare ægrotis, atque poſt illorum ex hac vita egreſſum & ſaltum viſcera rimari. Ex quibus ſimul ſumtis opus hoc pronatum eſt, ut adeo nunc mirari deſinas, ſi in diverſis terræ plagis & regionibus obſervationes conſignatas invenias. Ubi autem (quod hic monendum) locus non exprimitur,Serveſta intelligenda venit. Plures harum annotavit b. Parens, non quidem peculiari libro, in quo hæ præſentes continentur, ſcriptas, ſed eas per epiſtolas communicavit Viris Medicis eruditis, quibuscum ipſi commercium fuit literarium, uti Schneidero Profeſſori Wittenbergenſi, Magiro Profeſſori Marpurgenſi, Langelotto Archiatro Ducis Holſatiæ, Heimburgero Medico Magdeburgenſi, Hofmanno Chriurgo Freybergenſi, aliisque, uti ex horum reſponſoriis abunde & clare patet.

Aſt non dubito fore permultos, qui hoc genus ſcripturæ leve & non ſatis dignum erudito orbe & luce publica judicent, imprimis cum legent, Parentem meum Chirurgum, nec literatorum numero adſcriptum fuiſſe, nec in Academiis per aliquot annos vixiſſe: Sed hi erunt fere, qui nihil rectum, niſi quod ex Academia venerit, judicabunt, vel qui ſuperiorum aut Præceptorum veneratione & timore veluti ſervili ita tenentur, ut nemini, niſi jam amplo diplomate approbato applaudere audeant. Noverint autem hi, non poſtremam ad errores delabendi cauſam eſſe cæcum reſpectum, quod prolixius Celeberrimus Thomaſius *in Introd. in Logic. cap.* XIII. demonſtravit: Et contra judicent, num Academia omne in artibus tulerit punctum. Ipſi Carteſio, Philoſophorum oculatiſſimo, indies objicitur, in caſtris & gynecæo,

cæo, abſit vero ut pure affirmem, natam ejus eſſe Philoſophiam. De Boyleo vero conſtat, eum ab omni fere artificum genere eſſe edoctum, uti libri ejus utiliſſimi paſſim teſtantur. Nec fugit quempiam Thomam Brovvne in carcere ab omni librorum ſuppellectili remotum confeciſſe librum meditationis profundæ de Religione Medici. De Matheſi & partibus ejus Statica & Mechanica non ignotum eſt, non omne meruiſſe Academias. Oeconomica doctrina in utramque ibi dormit aurem. Cæterum quis neſcit, mundum eſſe theatrum, in quo pro illa qua pollet amplitudine, fruſtra ad unum locum reſpicias, non enim omnis fert omnia tellus. Sed ſicuti hic pomus pirusque, alibi citrus & melones, alibi cinamonum casſiaque proveniunt, ita & nunc in caſtris, nunc in furnis chymicis, nunc in officinis, nunc in terræ fodinis, iſtic apud Doctores, illic in muſeo, alibi apud Chirurgos nova inventa reperies. Ut adeo pro illis, qui Literatorum Collegiis, Scholis, Academiisque nomen dedere juſta præſumtio non ſolum integritatis morum ſed & veræ eruditionis militet. Illos vero qui morum modeſtia, actionum dexteritate, artisque peritia facto ipſo ſunt conſpicui, autopſia tanquam mille teſtes commendet.

Apage igitur tales cenſuras quaſi Chirurgus ad ea, quæ in opere reperies, inhabilis putari mereatur. Dudum in foro receptum eſt, omnes teſtium perſonam agere & rei veritatem adſtruere poſſe, paucis exceptis, de quibus vid. Struvius *Juriſpr. Rom. Germ. For.* L. IV. *Tit.* XI. *p.* 626. ſq. & Vultejus *Comment. in Inſt. p.* 253. Quidni ergo Chirurgo perito concederes in Medicina, quod vulgo literas ne quidem ſemper callenti conceſſum vides. Et induſtrius Peyerus ſecandi artem aut officium Chirurgo experto deferre non dubitat *Parerg. Anat. & Med.* III. *cap.* IV. *p. m.* 141. Aſt oleum operamque perdo niſi præjudicium Autoritatis, quod Doctiſſimus Ammannus in ſuo Irenico ſedulo monet, ſepoſueris. Erant antiquis temporibus Athenis judices in Areopago, Areopagitæ ideo

dicti.

dicti, qui, ut ajunt, Solonis inſtitutione ducebantur, hi ſoli, quod ſciam, omnem ſuſpicionis maculam eo delere nitebantur, quod non dicentes, ſed, quæ dicerentur, obſervarent, & noctu judicia haberent in tenebris, nec orationis prolixitatem audirent, vid L. Vall. Eleg. Fateor non reſtare in hunc diem ad judicandum remedium commodius. Utinam hic mos non videretur obſoletus hodie vel moribus ſeculi, vel argento, vel perſonarum reſpectu, vel orationum lenociniis, mutata cerneres hominum judicia! Sed quæ præteriit hora redire nequit. Equidem hic capitalia, ſicuti in Martis vico fiebat, non tractantur, judices tamen pares, qui, non quis, ſed quid dixerit, unice perpendunt, & absque affectuum impetu de rebus ſtatuunt, expetere convenit. Erunt vero non pauci, interque illos, qui ad gubernacula veluti Medicinæ ſedent, opinioni tuæ non ſatis deliberatæ patrocinaturi. Ex quorum numero Clariſſimum Ammannum quis forte allegaret, is enim in Praxi Vuln. Lethal. & paſſim aliis in Libris, ut nemini perpercit, quando jocus vel rigor illud poſtulat, ita Chirurgos mirum in modum quoque perſtringit. At enim vero, ſi hæc in immerentem & anatomica peritia inſtructum transtuleris, vereor, ne ipſi Viro Celeberrimo fiat injuria. Sicuti vero in limine ſermonis de encomiis me nolle eſſe ſolicitum dixi, probe gnarus, laudem non eſſe firmam niſi proficiſcatur ex opere, ita tempus exigit, ut in viam redeam.

Quod ſi vero objiciatur Parenti, latina eum non ſatis calluiſſe, hoc eſt, quod Medicis permultis quoque objiceres, qui in Scriptis ſuis quandoque ſatis barbare loquuntur: Aſt ſalva res eſt: Linguæ noſtræ turpior eſt ignorantia, inquit R. Mareſius Epiſt. Philol. aliquo loco quam latinæ, licet ob ſoloeciſmum in illa admiſſum non perinde ut in hac pueri ferulis objurgentur. Et ſi ad ſummum perventum eſt, utri, an Parenti an vero mihi potior in hoc opere pars ſit deferenda judicent Lectores; dictas namque

ob-

obſervationes ad voluntatem b. Parentis edidi, & non ſolum latinitate donavi, ſed & certo reſpectu meas feci, quatenus commentarium fere perpetuum illis junxi, variisque hiſtoriis chirurgicis, medicis & anatomicis firmavi, tum & cauſarum ſcrutinium in me ſuſcepi, & rationibus philoſophico medicis illuſtravi. Mihi gratularer, ſi plurimis placeam, omnibus enim placere ne Jupiter quidem ſolet; dum homines ſumus, humani nihil a nobis alienum putare decet, cum etiam, Catullo Autore, ſuus cuique attributus ſit error, & non videant etiam omnes manticæ quid a tergo ſit. Ordinis ratio mihi fere nulla fuit, aut arbitraria, prout in diſcurſu fieri ſolet, mox enim obſervatio principium, mox medium, mox finem occupat, illique adeo promiſcue locum dedi, memor, quod variatio delectet, interdum vero connexio aliaque id poſtularunt.


Quod ad ipſas obſervationes attinet, non omnes ſunt rariores, ſed & illud non tam utile quam curioſum aut e re Medicinæ eſt: Cæterum quo plures in eis reperies circumſtantias, eo perfectiores illas eſſe cognoſces. Ita haud de nihilo eſt, ſi præter ipſum affectum variaque concomitantia ſymptomata ipſam ægroti diætam, vitam anteactam, ætatem, animi prædominantes affectus, morbos prægreſſos, temperamentum corporis & idioſyncraſiam, cæli aeriſque temperiem, occaſiones morborum præſentium etſ. tacta & nominata legeris. Aliquando tamen conciſior eſt hiſtoria, quæ ut foret prolixior, vel b. Parens non judicabat e re ſua eſſe, vel eidem facultas deficientibus teſtibus, obmuteſcentibus ægrotis denegata fuit. Denique omni cura elaboratum eſt, ut tragædiæ morborum diſtincte notaretur exitus, qui ſi lethalis fuit, autopſia, tanquam corporis conſtitutionis plerumque genuinus teſtis acceſſit, ſi ſalutaris, quibus illud modis effectum fuerit ſæpius conſpicies longius vel brevius.

Ne

Ne vero illis quorum opera in hoc libro uſus ſum laudem præripere videar, ſuis locis quanta potui modeſtia eos inſerui, & tam antiquis quam recentioribus Scriptoribus partem hujus libri acceptam refero, honoremque tribuo.

De utilitate tandem totius libri ut quædam moneam ſupervacuum fere judico: quot enim capita, tot & ſenſus & judicia ſunt, conſequenter etiam tot fructus inde promanabunt. Si vero ad ipſas obſervationes reſpicias, concedes ipſemet hac via totam Medicinam & ortam eſſe & feliciter creviſſe. Totum fere utilisſimum Hippocratis opus obſervationibus & hiſtoriis conſtat. Diligentisſimi Sydenhamii vox eſt Oper. p. 454. *Seclusis obſervationibus id quod vel alii cuilibet pro ratione habetur, nihil fortaſſe erit aliud quam rationis umbra aut phantaſma, hoc eſt, mera opinio.* Meminimus dicti Medici cujusdam eruditi, libros obſervationum non facile poſſe abundare, licet in diverſis Autoribus ſimillimæ occurrant obſervationes. Utiles itaque ſunt obſervationes, ut ſtrictim & breviſſimis nos expediamus, alii occaſioni longiorem explicationem reſervantes, ad rem memoratam certiorem reddendam, ad diſcenda Medicinæ incrementa; Ad hypotheſes melius & firmius ſtabiliendas, climatum diverſas conſtitutiones notandas, varias annorum conſtitutiones diſcendas: Ad temperamenta diverſa hominum noſcenda, & curationem propterea caute inſtituendam: Ad ætatum morbos, conſtitutiones etſ. diſcenda: ad morborum cauſas varias pernoſcendas: ad excolendam Semioticem, eventuum varietatem notandam, & praxin medicam & chirurgicam faciliorem reddendam. Ad noxam vel utilitatem remediorum penitius noſcendam & medicamenta facilia diſcenda, atque inventa chymica percipienda. Quin & aditus ad Medicinam forenſem hinc fieri poteſt; & quæ ſunt alia.

Cæterum utere B. L. iſto labore prout inclinatio tua, occaſiò aut negotia tulerint, accedas autem ſine præjudicio, & nudis evolvas oculis animoque ſincero ſcriptum, &, ſi dignum luce publica poſt judicaveris, eſt quod mihi gratulor, ſin minus, Autor eris ut impoſterum errores corrigam, atque ad altiora enitar. Benevolentiæ autem tuæ & candori me meaque commendo.


Nro. I.
L.I. Obſ: XLVIII. p: 159.
Nro. II.
L.I. Obſ. X. fig. I. p: 36.
fig: II. p. 37.
fig: III.
fig: IV. p: 37.
Nro. III.
Nro. IV.
Nro. V.
fig: V. pag: 37.
L.I. Obſ. XI. p: 40.
L.II. Obſ: XIII. p: 205.
L.I. Obſ: XXII. p. 72.
Hæc veluti inciſio erat digitum latum profunda in parte hujus lienis exteriore
L.I. Obſ: XLVII. p: 156.

OBSERVATIONUM CHIRURGICO-MEDICARUM LIBER PRIMUS.

OBSERVATIO I.

CEREBRI VULNUS SANATUM.

PRonunciat quidem Hippocrates aureo libro aphoriſmorum Sect. I. aph.18. *Cui perſectum cerebrum, lethale.* Et Prædict. L. II. c. XXII. §. 1. *Ex capitis vulneribus lethaliſſima ſunt, quæ ad cerebrum pertingunt.* Nec injuria forſan aliquis vulnera hæc judicaret immedicabilia, quando conſiderat, quod omnium nobiliſſimæ partes in exiguo hoc ſpatio contineantur, nervi inde oriantur, vaſa ſanguinea in maximo numero ubique diſpergantur, ipſaque cerebri ſubſtantia delicatiſſima ſit. Hinc Platonici caput membrum corporis diviniſſimum, & reliquorum facile princeps eſſe ſcribunt. Cui totum corpus connexum Dii ſubeſſe & parere juſſerint. In Platonis Timæo id obſervatum certe eſt, caput quoque dici non principale ſolum, ſed etiam totum in corpore. Reliqua enim ſolum, ut capiti ſerviant, adjuncta eſſe, ut tradit Cœlius Rhodiginus Lect. Ant. L. XX. c. XII. p. 773. Experimur tamen, & hanc Hippocratis regulam ſua non carere exceptione; eluctari ſcilicet quoſdam per hæc pericula. Suo jam ævo id confirmavit Galenus in Comment: ad hunc ipſum

aphoriſmum, ubi Pelopis, Præceptoris ſui, meminit, cujus cerebrum, & ſi graviter fuiſſet læſum, ſanatum tamen ſit; Aliud præterea exemplum, quod cerebri læſio cum morte non ſemper connexa ſit, ibidem adducit; Imò libro de Uſ. Part. ipſos cerebri Ventriculos ſine vitæ jactura læſos fuiſſe refert. Nec minus Recentiores ſuo calculo confirmarunt, cerebri vulnera non ſemper eſſe lethalia. Tantum Cerebri exemtum fuiſſe, quantum dimidia teſta ovi caperet, hominem nihilominus ſanatum eſſe, & poſtea ex peſte obiiſſe, teſtatur Glandòrp. *Spec. Chirurg. Obſ. V.* Hildanus *Cent. I. Obſ.* XIII. Exemplo primo & quarto reſtitutorum ex cerebri læſionibus hiſtorias adducit. Præprimis videatur obſervatio de homine, cui maximo vulnere læſum fuit cerebrum, & tamen reſtituto apud Pigræum Epitom. des Medic: & Chir. L. IV. c. IX. p. 369. Dum igitur obſervatur, hos mori, illos vero convaleſcere, apertum eſt, circumſtantias quasdam, modosque læſionis attendendos eſſe. Hosque fortaſſis non incongrue ponas (I) in vulnerum magnitudine vel exilitate, (II) vaſorum majorum vel minorum læſione, eaque varia, (III) Locorum cerebri diverſitate; (IV) Naturæ robore vel debilitate: Quibus poſſet adjungi (V) Regionum diſcrepantia: Cum Chirurgorum Celeberrimus Ambroſius Pareus *L. X. c.* VIII. *p. m.* 491. ex Guidone referat, vulnera capitis contumaciora & difficiliora curatu eſſe Pariſiis, quam Avenione, & e contrario vulnera tibiarum hic moleſtiora, quam ibi. Et Amatus Luſitanus teſtatur itidem, vulnera capitis periculoſiora eſſe Bononiæ quam Raguſæ *Cent*: VI. *cur.* C. Maxima ſcilicet aeris vis eſt in corpora humana; explicante enim Fœſio in Oecon. Hipp. ſub voce ἀὴρ, *Aër dicitur Hippocrati Spiritus corpus noſtrum ambiens eique circumfuſus, omnium quæ accidunt corpori autor & Dominus, cujus in ea, quæ natura conſtant, & corpora noſtra conſervandi & corrumpendi vis eſt omnium maxima.* Ex recentioribus Scriptoribus Dampier, Ridlinus, Borrichius, & Pigray ſuperius dicta egregie confirmant. Iſte Libro *Voyag. autuor du Monde c.* V. *p.* 131. Hoc ordinario accidere, refert,

fert, ut homines valde licet ægrotantes, dum adhuc in navi & mar ſunt, ſatis longe vivant, ſtatim ac vero ad terram veniant, vel ventum ab ea venientem tantum reſpirent, ſubito moriantur. Ille in Lin: Med. Anni MDCVC p. 256. ita infit: *Juvenis quidam a pueritia ulceribus manus dextræ, ſpinaque ventoſa laborans, omnibus Chirurgorum remediis incaſſum adhibitis, denique mutavit locum, atque aërem, & vix perſemeſtre ſpatium Viennæ degenti ulcera fuerunt perſanata.* Notabilis eſt Celeberrimi richii in Act. Hafn. Vol. III. p. 76. Obſervatio XLIII. *Vir* inquit, *generoſus ante hos viginti ſeptem annos, infelici lapſu crus perfregit: Chirurgi advocati, licet diu tricantes nequiere ita ſolidare vulnus, ut non perpetuo ſtillicidio ichor inde emanaret, deſinente in fiſtulam plaga. Poſt annos aliquot Madritum legatur, neglectâ, propter longi ſubſellii negotia, cura illa intentiore corporis: Advertit tamen elapſis aliquot menſibus ſponte ſtare ſerum inviſum, nec amplius profluere quicquam triennio integro, & quod excurrit. Ut rediit Hafniam, paulatim aperitur fiſtula & more veteri ſero quotidie madet ad annos aliquot. Iterum in Hiſpaniam negotiorum cauſa mittitur, iterum coit vulnus, nec toto ſexennio, quamdiu Madriti ſubſtitit, ſcaturit quicquam. Tandem redditus Patriæ in paucis menſibus apertum rurſus foramen videt, quod hodieque nondum coiit, äere Arctoo humidiore reſerante, quod Hiſpanus ſiccior occluſerat.* Similem hiſtoriam adfert ex Turqueto de Mayerne. *Il ſe trouve,* notanter inquit Pigray Epitom. des Precept: de Medicine & Chirurg: L. IV. c. IX. p. 368. *certaines annees, que les playes de la tete ſont presque toutes mortelles & les petites auſſi bien comme les grandes, ce qui ſe peut referer a la conſtitution de l'air, de la quelle il nous eſt difficile de juger. &c.* Confer. Dampier. *c. X. p.* 319. & cap. XII. n. 377. Thevenot *Vog. T. I.* L. I. c. V. Ettmull. *Phyſiol. P.* II. *c.* III. p. 34. Entius de circul. ſangv. *p. 6. ſq.* Scaliger *Exerc.* XXX. Ex his igitur & ſimilibus circumſtantiis Hippocrati patrocinium quoddam quæri poſſe videtur. Meretur porro attentionem, quod forte nulla exſtet obſervatio ſervati hominis, cui læſum fuit cerebellum. Clariſſ. Vieuſſens experimento facto probavit, canem, cui in fruſtula ſectum fuit cerebellum & e calvaria exemptum, illico fere mortuum fuisſe; alium autem cui cerebrum cum medullæ oblongatæ caudice ablatum fuit, per ſex horas reſpirasſe & vixisſe, quamvis experimentum iſtud ingens ſequatur

ſanguinis effuſio. *Nevrograph. Univ. L. I. c. XX. p. m. 237.* Quemadmodum ſcilicet ordinata magis ſerie cerebelli lamellæ diſponuntur quam cerebri, adeoque ordinatiores & conſtantiores influxus & motus quaſi deſignant; ita læſio ejus ubique gravior eſt, præprimis cum firmius ſibi incumbant ſtrata, ſubſtantia compactior, atque vis veluti concentrata ſit. Palmaria vero ratio videtur copioſiſſimus nervorum ex Cerebello proventus quibus nobiliſſimis partibus & viſceribus ad vitam unice neceſſariis abundanter proſpicit. Si itaque pars tam inſignis læditur, reliquæ ab iſta dependentes & vitam quaſi accipientes emoriantur, neceſſe eſt.

De Cerebro autem læſo & rurſus ſanato cum Autorum fide dignorum teſtimonia, uti ſuperius dictum, quamvis non oppido multa, exſtent, ſequentem b. Parentis obſervationem adjungere iis placet.

Cum anno MDCXXXIII. Locum tenens quidam, Vir conſtitutionis robuſtæ, Bremæ concertaret cum alio in duello, os frontis ejus prope ab oculis ab una temporum regione ad alteram ab adverſario glande plumbea trajiciebatur, ita quidem, ut impetu amiſſo, cuti adhuc in hæreret glans, & ſectione facta eximeretur. Ordinaria ſymptomata, quæ in capitis læſionibus ſemper graviora ſunt & periculi plena, comitabatur non una vice particulæ cerebri, dum vulnus tractabatur, exitus; altero oculo æger fiebat cæcus; & elapſis paucis diebus calor & ſenſus crura deficere ſenſim incipiebant. Has ob cauſas exigua ſalutis ſpes ſupererat. Interea vero ab Excellentisſimo Doctore Matthia Glandorpio, Medico Celeberrimo, medicamentis internis morbo ſtrenue ibatur obviam, nec aliquid Chirurgia opis intermittebat: Imo æger ipſemet, cum morbum indies incrementa capere animadverteret, propria medentium conſiliis miſcere, eo magis, quod veterinariam quondam exercuerat, voluit, & ſentio equidem, dicit, crura mea emori, mortemque ceu contagium brevi occupaturam eſſe interiora, ni celere feratis auxilium. Sæpius exper-

pertus ſum oleum laurinum cum forti ſpiritu vini mixtum, membrisque debilibus infrictum ſalutare præbuiſſe remedium. Annon idem hic conducet? Non repugnarunt Medicus & Chirurgus, ſed forti frictione calore prius evocato linimentum cruribus optimo ſucceſſu illini curarunt. Cæterum capitis vulnus ſumma cura tractatum ceſſantibus omnibus ſymptomatibus coüt; Et æger præter multorum opinionem priſtinam recuperavit ſanitatem.

OBS. II.

VULNUS CEREBRI PER ACCIDENS LETHALE.

FEbres quædam malignæ dicuntur, quod in initio lenitate ſymptomatum ſpem ſanitatis interdum faciant, poſtea vero hominem truculenter enecent; juxta proverbium: urina bona, pulſus bonus, æger moritur; interdum vero peſſima quæque conjuncta habeant accidentia, attamen vitam largiantur; ita ut certam prognoſin de iis formare difficillimum, ſi non impoſſibile ſit. Eodem etiam modo de capitis vulneribus judicium perquam difficile eſt: Multa enim hic fiunt in abditis quo humana oculorum acies penetrare nequit. Partes læſæ, ſi non factum id fuerit gravius, aliquamdiu externæ vi reſiſtunt, in ſuo officio, uti apparet, manent, & ſenſus integri ſunt, ut ſæpe Chirurgi vel Medici inducant animum, ut leviora ſymptomata aliunde quam a læſione internarum partium oriri arbitrentur. Ex quibus neceſſario conficitur, errores in curatione committi, eumque, qui ſervari potuiſſet, morti cedere in prædam. *Quapropter* inquit, C. Stalpart van der Wiel Obſ. rar. Cent. poſt Part. prior. Obſ. 1. p. 7. *admonitum velim unumquemque Chirurgum, cui ejusmodi capitis vulnera cum læſione, aut contuſione cranii forte occurrunt, ut in Medicinæ noſtræ honorem nullam certam aut determinatam faciat prognoſin, ſed Damaſceni aureæ ſententiæ memor ſit: Si interrogatus fueris, ſemper velociter reſpondeas dubitandum eſt; nam ve-*

luti magna & gravia capitis vulnera (teſte Galeno Libr. V. aph. Comm. 2. *nec non uſu quotidiano) non ſemper ſequitur mors ſic & levia ſæpe numero mortis cauſæ ſunt.* Si itaque ullibi, hic certe prudenti diffidentia nihil eſt melius, & ſumma cura, exquiſita diligentia, attenti oculi, docta manus, eruditum cum ægro colloquium, circumſpectum judicium, atque ſedula obſervatio adhibenda, & omnium ſymptomatum antecedentium & præſentium examina inſtituenda ſunt, quo vulneris modum, quantum quidem humanitas permitttit, probe perdiſcamus: Ne periculo & morte hominum admoniti errores poſt modum corrigamus. Similem fere caſum cum ſequenti affert Matthias Glandorpius *Specul. Chirurg. Obſ. VI.* Ubi & Medicus & Chirurgus in inquirendo vulnere negligentiores, vires morbi augeri permiſerunt, unde convulſiones, fætor vulneris, cerebri putredo, tandemque mors ſupervenerunt. Optime itaque Hippocrates proœm. Libri de capitis vulneribus: *Nullum capitis vulnus leviter contemni debet. Sæpe enim cutis ſola contuſa ferro aut alia aliqua re, ſi non diligenter, & cum quadam cautione curetur: veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur: Ulcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit: & medico quidem negotia, ægroto vero periculum non minus affert. Verum hoc multo magis contingit, ſi calvaria & cerebri membranæ rumpuntur. Quare ſi non ſingula hæc diligenter Medicus curaverit, ſæpe mortis cauſa exiſtit.* Ad mentem itaque Senis Celeberrimus Amman in praxi vuln. lethal. p. 18. *In omni*, dicit, *capitis vulnere, leviſſimo quamvis, peſſima ſemper debemus præſumere, quoniam internam læſionem ante ſectionem nemo poteſt ſcire.* Fidem dictorum faciunt exempla a b. Parente ſequentem in modum annotata:

Anno MDCLXXX. die decimo quarto Junii fœmina quædam in ædibus Conſulis Serveſtani D. Adami Hufneri ſerviens, triginta annorum, in tumultu ſtudioſorum, ab aliquo circa decimam horam veſpertinam in anteriore capitis parte cæſim vulneratur gladio. Advocatur Chirurgus, cujus nomini parcimus, qui obligat vulnus; cæterum illud, prout ipſe coram publico judicio

con-

confeſſus eſt, parvi æſtimat, ideoque nec perquiſivit, an cranium læſum fuerit, nec venæ ſectionem inſtituit, aut externa adhibuit, præter emplaſtra, remedia, nec Medicum ſibi adjungi curavit. Hæſitque in hoc peſſimo errore, donec demum die ſeptimo cum Viro Experientiſſimo D. D. Paulo Scheubano, Archiatro Serveſtano, in conſilium advocati læſionem cranii ipſi demonſtraremus. Nec fæmina majorem vulneris ſui curam habuit, ſed a periculis quaſi ſecura, omnem diætam ſprevit, & conſueta officia domeſtica peregit usq; in ſextũ diem quo linteis lævigandis usq; in veſperam incubuit; (hat gerollet) ſequenti die gravia ſymptomata irruunt, & die primo Julii inter nonam & decimam horam matutinam fatis cedit. Eodem die mandato Sereniſſimi noſtri Principis in præſentia perſonarum judicialium cranium a nobis diſſectum eſt. Quoad exteriora, offerebat ſe vulnus dimidium digitum fere longum, quatuor digitorum transverſorum ſpatio ſuper oculum ſiniſtrum inflictum, non tantum panniculum carnoſum, ſed os cranii ſimul penetrans. Clarius conſpiciebatur illud calvariâ ablatâ, quæ eo loci valde tenuis erat. Præter fiſſuram fractura aderat articuli digiti longitudine, & duo foramina, quorum ſuperius minoris, inferius vero majoris piſi erat magnitudine, quæ duobus ramentis, quorum alterum inter cranium, alterum vero & majus intus adhærebat cranio diſtinguebantur; & duram meningem duobus locis penetraverant. Piæ meningi & cortici, non vero ſubſtantiæ ſeu medullæ cerebri tenuiſſimum ramentum oſſis dimidii ungvis auricularis digiti magnitudine, ſed non acute, infixum erat. Cæterum vaſa cerebri ſanguine diſtenſa & turgidiſſima erant: Quisque ventriculus anterior unum cochleare aquæ coloris aquili vel fuſci continebat, in regione vero occipitis inter duram & piam matrem clari & tenuis ſanguinis unum cum dimidio ſtagnabat. Non autem, rupturam vaſorum, vel corruptionem quandam ibi factam fuiſſe, animadvertere potuimus. Ex quibus circumſtantiis cum laudato Medico ſtatuimus, vulnus periculoſum quidem,

ſed

ſed vero non abſolute vel ſimpliciter & per ſe lethale in initio fuiſſe.

Anno MDCXXXIX. Dantisci Vir robuſtus ex cantharo ſtanneo in frontem injecto leviter in cute læditur. Negligit homo concuſſionem iſtam, & conſveta obit munia. Tertia die dolores valde augentur, accedit febris & inflammatio circa vulnus & remediis tum nequicquam adhibitis æger die quinto moritur. Interiora capitis luſtrantibus cranium neque fractum neque fiſſum apparuit, ſub illo autem, item inter duram piamque matrem in loco ubi frons concuſſa erat multum cruoris jacebat.

OBS. III.

VULNUS CEREBRI INSIGNE, POST SEPTEM TAMEN SEPTIMANAS VULNERATUM, DEMUM INTERIMENS.

PHilippus Ludovicus Schlemiſch/ Inſpectoris Eccleſiarum Diœceſis Mœkeranæ N. Cluſii ſervus, homo XXIV. annorum & robuſtus, An. MDCXC. die ſeptimo Septembris tempore nocturno lapide triangulari duas libras & decem uncias pendente in ſincipite ict9, confeſtim concidit in terram, ſurgit tamen, menteq; conſtans loquitur; domum poſtea reverſus, ubi parietem tranſcendere opus habuit, lectum petit, & mane demum per balneatorem ejus loci vulnus obligari curat, tumque totam rem, ut acta eſt, ordine narrat. Sequentium dierum ſymptoma fuit ſomnus multus, ex quo tamen facile excitatus, ad interrogata reſpondit. Die undecimo hujus menſis a Prætore ejus loci poſtulatus, ut vulnus conſiderarem, atque conſilium de inſtituenda curatione darem, eo profectus ſum. Cum viſitarem ægrotum debilisſimus erat, parumque loquebatur. Solutis faſciis viſui ſeſe offerebat vulnus amplum ad latus ſiniſtrum frontis, latitudine trium digitorum transverſorum ſuper externum oculi canthum cum inſigni fractura oſſis, quo muſculus temporalis dilaceratus erat. Panniculus

carnoſus contuſus valde & in tumorem elatus apparebat. Poſtquam vulnus decenter mundaſſem, conſpexi accuratius cranium contuſum, & in partes diffractum eſſe, quarum aliquæ introrſum profunde ceſſerant; cumque eas eximere tentarem, ad majorem commoditatem, (der wunde beſſer Lufft zu machen) magna ſanguinis quantitas ſub cranio ſtagnans profluxit, nulla vero ramenta vel partes cranii removere potui. Obligavi igitur vulnus, oleoque convenienti capiti illito ſpecies cephalicas Vino coctas calide impoſui, quod antea factum non fuerat, ſimulque juſſi, ut hæc ſacculorum impoſitio bis per noctem repeteretur. Altero mane melius in vulnus introſpicere potui. Tres cranii partes noctu a reliquis ſeparatas exemi: Aderant quidem plures, & una præcipue inferioris cranii laminæ, alte intruſa, quam equidem libenter extraxiſſem; quoniam autem cum dura matre firmiter adhuc cohærebat, relinquenda erat. Quo ad reliqua, calor febrilis non aderat; a die autem, quo læſio facta erat, in hunc usque, alvum æger non dejecerat, nec urinam in ſufficienti quantitate miſerat; Quibus excretionibus promovendis defectu Clyſteris, ſuppoſitorium adhibere juſſi, quod etiam egregie contulit. Domum poſtea memet rurſus conferens balneatorem de vulnere tractando inſtruxi, ipſique eadem veſpera, una cum medicamentis internis a Viro doctiſſimo P. Scheubano ordinatis, externa miſi. Convaluiſſe eum credidiſſes; ſatis enim bene poſt aliquot ſeptimanas ex uſu medicamentorum habere viſus eſt: Imo ipſe ægrotus amplam de valetudine concipiens ſpem, in publicum prodit, & in ædes in ſuburbio mille amplius paſſus a priori domicilio diſtantes ſolus ſeſe confert, nuptias ſororis celebraturus. Nec inde mali quid ſentit, cibum potius & potum cum aliis capit. At enim vero quam falſæ fuerint morbi blanditiæ, unicum horulæ momentum manifeſtavit, quo dextri lateris reſolutio die vigeſimo ſecundo Octobris ex inopinato ingruit cum ſingultu, & altero die ipſa mors. Obſervatu præterea dignum eſt, ſenſus fuiſſe integros, donec extremum fere efflaret halitum.

Cum ſequente luce nunciaretur vulneratum mortuum eſſe, ad inſtantiam D. Prætoris Moekeram vehimur, & luſtramus cadaver præſente laudato Medico. (I) Frons, facies atque collum circum circa intumuerant, principium corruptionis jamdum aderatcum fœtore. (II) Vulnus cranii in concurſu quaſi ſuturarum coronalis & ſquamoſæ erat. (III) Non tantum meninges diſruptæ, ſed & ipſa ſubſtantia cerebri tres digitos transverſos a proceſſu falciformi graviter læſa erat; imo ſub cranii vulnere latitudine monetæ minoris (eines Viergroſchen Stückes) ad fundum fere putredine corrupta inſtar ſaniei ichoroſæ conſpiciebatur; Altero latere ſalvo. Mirabantur itaque omnes, vitam cum hac graviſſima læſione tam diu conſtare potuiſſe.

Saluberrime ſcilicet ſapientiſſima natura, aut potius DEUS O. M. cerebri ſubſtantiam per medium ſinu, quem a figura falciformem dicunt, diviſit, quo alterius lateris vitia non ſtatim toti cerebro communicarentur, & vita aliquamdiu durare poſſet. Similem fere hiſtoriam recenſet Excellentiſſimus Slevogt diſſertatione de dura Matre §. XXIV. Cum enim miles bis feriretur gladio in ſincipite dextro, læſione per cranium tranſeunte; Poſt varios commiſſos errores, & poſt duos fere menſes moritur. *In capite*, inquit, *aperto cerebrum in læſo latere totum in ſaniem ex flavo virideſcentem mutatum erat, & ne reliquo ſaniſſimo labem affricaret, falx latior facta cum dura matre ita ſubtus coaluerat, ut ſaccum undique clauſum referret.*

Sed quis integritatem mentis, ejusque ſanitatem poſtulet in homine, cui non ſanum eſt ſyncipu t? A rebus conjugium mentis cum corpore conſtituentibus id jure derivandum venit, unde actiones ob ſufficientes ſpiritus animales & ſanguinem adhuc bene ſatis conſtitutum, rite fuerint peractæ, organis omnibus eo pertinentibus putrida labe nondum corruptis. Quid enim ſanguinis motus & mixturæ, indeque dependentium varius habitus circa operationes mentis efficiat paroxyſmi febrium

clare

clare demonſtrant. Quid porro ſanguis ad ſapientiam conferat, divinus Hippocrates jam dum cognovit Libro de Flat. cap. XX. §. 3. Ed. Lind. *Opinor autem*, inquit, *inter omnia quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem. Hic ergo cum conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia, ſanguine vero permutato, concidit ſimul & prudentia.* Has ob cauſas Nob. Carteſius in Medicina rationem quæri debere credit, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat, cum animus a temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendeat. &c. *vid. diſſ. de Methodo Th. VI. §. 2. p. m.* 32.

Præterea reſolutio dextri lateris, cum tamen vulnus ſiniſtrum occupaverit, attendi meretur. Eum affectionum harum morem eſſe diligentiſſimus Senex Libro de Cap. vuln. cap. XXIV. §. 3. & 4to annotavit: *Cum vero*, inquiens, *jam ſuppuratum* (Os) *fuerit, in lingua puſtulæ oboriuntur, & deſipiens æger moritur, & convulſio pleroſque corripit in altera corporis parte. Si quidem in ſiniſtra parte capitis ulcus habeat, in dextra corporis parte convulſio corripit. Si vero in dextra capitis parte ulcus habeat, in ſiniſtra corporis parte convulſio corripit.* vid: & cap. XIX. §. 1. & 2. Rationem hujus phænomeni redditurus Ampliſſ. Tulpius *Obſ. L.* 1. *c.* 1. ad violentæ concuſſionis impetum, vel exſuſcitatum calorem, indeque ortam propulſionem ad partem oppoſitam, ceu locum maxime remotum a motus principio, & præcipue a latere dolente, unde hoſtem ſuum ſatagat depellere natura, confugit. At enim vero minus congrua hæc videtur explicatio. Cum (1) modum eo ipſo nondum deſcribat, & (2) Naturæ invitæ quaſi aliquid affingat. Natura autem, juxta Senecam, ſui juris eſt, nec ad leges humanas componitur, quod in actionibus ſuis liberrima nullo etiam doctore uſa ſit: ſecundum Hippocratem *de alim.* c. VIII. §. 8. Et, ſi quid genio loquendi indulgendum, conſervationi omnium partium ſtudeat ſcientiſſima. Qualis autem foret conſervatio, ſi altero latere jam debili, alteri præterea vim movendi, & interdum ſen-

tiendi adimeret, materiæ quandam portionem, loquor ex hypotheſi, eò propellendo? cum hac ratione morbum non tollat, ſed officioſe plus noceat. Laudatus Glandorpius cit. Libro Obſ. X. hanc rem explicaturus vult ex impetu concusſionis, (ſive vulnus aut fractura cranii aut cerebri adſit, ſive non) Vires eo loco, quo facta eſt læſio, depelli, & aliquam materiæ partem in oppoſitum latus ſecum vehere, quæ ibidem ſubſiſtat, & nervos ingreſſa ſpirituum irradiationem impediat, unde vel motus tantum, vel ſenſus, vel ambo ſimul auferantur. Non parum hic juvare decubitum ægri: præcipuam vero rationem in diviſione medullæ ſpinalis per medium quærendam eſſe. Sed, utut in hac explicatione omnia rejicienda non ſint, modus tamen non ſatis accurate traditur, & aliàs quædam notanda veniunt. Hoc quidem verum eſt, Vires imminui ob læſionem factam; quomodo autem clare ſatis & diſtincte concipietur, materiæ partem in latus oppoſitum a viribus depulſis derivari? Vires revera non aliunde ſunt, quam ex nervei ſucci bene conſtituti jugi in membra ſana influxu, adeoque tam abſtracto conceptu conſiderari nequeunt. Præterea, ſi Hemiplegia talis oritur in ſano homine ſtatim ab inflicta plaga, materiæ præſentia in dubium vocari poteſt: Si vero aliquo tempore poſt, uti ſæpius fit, virium eo minor erit efficacia. Quando noſtram conjecturam & probabiles rationes de mirabili & ſingulari hoc affectu proferre licitum eſt, conſiderandum eſſe arbitramur, partium corporis humani robur in apta diſpoſitione ſolidarum & fluidarum particularum illud conſtituentium, legitima earum ad invicem relatione & proportione, item in qualitate, quantitate, motu, connexione etſ. ſitum eſſe: Facile itaque concipimus, imbecilitatem partium in contraria diſpoſitione collocandam venire. Quod igitur ad præſens negotium attinet, a primo læſionis momento a tam gravi percuſſione genus nervoſum in univerſum quidem affectum fuit, in læſo tamen latere magis quam quidem in ſano; hinc autem tam copioſus ſuccus ner-

veus

veus elaborari non potuit; ſano e contrario lateri cum propter ſinus falciformis conformationem vitia alterius lateris non tam graviter nec ſtatim communicarentur, oeconomia animalis utcunque ſalva fuit, præprimis cum cerebri corruptio ſenſim accreverit, atque adeo nervis ſpiritus, ut vocantur, animales ſubminiſtrari, nervoſarumque partium, ac ipſorum nervorum elaſticitas, æquilibrium & mutuus reſpectus ad tempus conſervari potuerint: Simul ac vero ſanies altius penetravit cerebrum, & ſcaturiginem nervorum turbare & evertere quaſi aggreſſa eſt, reſtitit quidem in tempus, tandem vero lateris ſani nervoſo genere majus pondus nanciſcente, majori vi ceſſit latus paucis contentum, & jam tum ægrotum: Sanum vero, ob nervos quosdam exeſos, æquilibrio deſtitutum, concidit quaſi & flacceſcit, nec ſufficienti ſpirituum influxu ſuſtentatæ partes, motu deſtituuntur. Quo non parum facit puris decubitus, quod magis verſus aliud latus inclinavit. Tum etiam conſiderari, meretur quasdam craſſiores particulas quietas deliteſcere potuiſſe, quæ motu corporis aucto majorem vim in nervos exercuerint, nervorumque principia obſederint. Quæ omnia præſens obſervatio confirmat, ex qua & magnam concuſſionem, & totius corporis perturbationem, & rupturam nervorum &c. factam eſſe conſtat. Quia vero oeconomia animalis hac ratione vitalitate privatur, ſanguis etiam ſolito more non propellitur & anima tandem corpus ſuum relinquere ab omni latere cogitur.

OBS. IV.

MAGNUM CEREBRI VULNUS DIE SEXTO DECIMO MORTEM INFERENS.

NOn tamen unica cauſa Reſolutionis alterius lateris eſt nervorum ruptura, & ſeparatio continui, & recenſitæ reliquæ, ſed aliæ etiam idem efficere poſſunt; dummodo effectus

idem ſit, maximam ſcilicet partem impeditus vel plane ſublatus ſpirituum animalium in nervos, & per conſequentiam in muſculos, partesque movendas influxus. Adeoque tumor, compreſſio, materiæ decubitus &c. illum morbum producere valent. Vid. in hanc rem diſſertatio de Hemicrania Doctiſſimi D. Wagniz, Amici noſtri honoratiſſimi. In qua ob liquoris nervei vel defectum, vel ob colatoriorum ejusdem obſtructionem, legitimum quoque membrorum robur deficere, & Hemiplegiam oriri recte ſtatuit, paragrapho vero octavo, ubi rationem, cur dolor in Hemicrania dimidium ſaltem capitis latus occupet, inveſtigat, excuſſis aliorum ſententiis, in hac difficillima re illud pronunciat: *Nullibi ſpero ſubſidium, niſi præſupponam, id quod captum ſuperat, in humoribus natitare corpuſcula proprio agitata motu, hæcque motui illorum non auſcultantia.* Annon febres particulares, & alia Symptomata in corpore interdum ab Autoribus obſervata huic conjecturæ eruditæ robur addere poſſunt? Curioſiſſimam Obſervationem tradit Excellentiſſimus Dekkers, *Excerc. Pract. cap. VII, p.* 523. Mulier ſcilicet quadraginta octo annorum melancholica & pituitoſa poſt Vertiginem in hemiplegiam incidit; Fruſtra adhibentur varia medicamenta; & quanquam ex Veſicatoriis & cucurbita vitrea cum flamma nuchæ & immediate ſupra nucham impoſitis levamen ſentire confiteretur, biduo tamen triduoque poſt omnia in eodem ſtatu rurſus fuerunt, ſicque ultra biennium hemiplegia laboravit. Tum vero äere calidiore & ſereno ſummo mane ſubito febri graviſſima correpta eſt, maximo cum frigore. Quo finito & calore ingenti cum ſudore erumpente latus diu afflictum in momento pæne reſtituitur, ſed quod miratu dignum, pars ſana oppoſita, vel latus hucusque liberum unico illo paroxiſmo tanta hemiplegia fuit afflictum, ut ne quidem movere vel retrahere pedem, manum, brachiumque poſſet; Imo ſenſu privata ſpaſmo cynico ſimul afficeretur hæc miſera; omnibusque poſtea incaſſum adhibitis, poſt triduum diem obiret; Verum quod notandum ſummopere, pergit

Autor

Autor, *ad ultimum vitæ terminum totum latus antea tam diu afflictum bene movere potuit.* - - Nullum eſt dubium, quin motu febrili vehementiori obſtructiones apertæ ſint, & particulæ obſtruentes ſangvini reaffuſæ lege circulationis inter fibrillas nerveas alterius lateris delatæ conſtantiſſime hæſerint. Cæterum in hoc ſequenti caſu, non ſoli corruptioni aut læſioni, ſed tumori incumbenti aut compreſſioni reſolutio nervorum lateris dextri in initio facta primario adſcribi debet. Quæ poſtea, omnibus circumjacentibus partibus putrida labe infectis, rediit, & tandem univerſalior facta fuit.

In eadem Urbe anno MDCLXII. die decimo quinto De-cembris Joanni Spickermann/ villico Paſtorfienſi, quadraginta trium vel quatuor annorum Viro, Cultro Venatorio, (einem Hirſchfänger) in ſiniſtro latere capitis paulo ſupra oculum longiſſimum vulnus infligitur. Altero die gravis ſopor invadit, quinto calor febrilis, delirium, & paralyſis oppoſiti lateris ſuperveniunt, quæ adhibitæ Venæ ſectioni aliisque remediis quidem ceſſit, duodecimo tamen die recurrit; Urina quæ primis diebus ſuppreſſa fuit, ultimis profluxit ſine ſenſu, & die trigeſimo primo ejus menſis, qui erat decimus ſextus morbi, animam efflavit æger.

Interiora capitis juſſu Magiſtratus perſcrutantibus, obtulit ſeſe præter cranium longitudine ſex transverſorum digitorum diſſectum, & latitudine duorum diffractum (I) Vulnus cerebri unum transverſum digitum cum dimidio profundum, & totum purulentum; Cujus ſanies, ut ulterius inquirentibus apparuit; [II] Non tantum verſus ſiniſtram oculi orbitam, ſed ſuper fundamentum cranii, quod os baſilare dicunt, late diſperſa, ad duplicaturam porro duræ meningis & cerebellum uſque profluxerat. (III) Sinus falciformis omni exhauſtus Sanguine, vaſa vero per duram meningem confertim diſperſa cruore multo & atro maxime turgebant; ipſa etiam meninx longe craſſior conſpiciebatur, ac quidem alias eſſe ſolet, jamque livorem contraxerat: Ut cuique ſatis appareret

inſi-

inſignem adfuiſſe inflammationem, miſerumque ſpiritum cum excandeſcentia febrili aliisque gravibus ſymptomatibus trahi debuiſſe.

Sæpius occurrit in hiſce obſervationibus, quarum pars Relationes etiam quondam fuerunt, venas vel arterias atro repletas ſanguine fuiſſe inventas: Quod quidem non ſemper tanquam aliquid ſingulare accipiendum; factum potius eſt, relationes & obſervationes juxta omnes circumſtantias tradere. Cauſa vero nigredinis hujus ſanguinis eſt circulatio ejus ſublata, adeoque quies, & immutatus partium eundem conſtituentium ſitus. E contrario Rubedo ſangvinis a particulis ejus (quas equidem certo determinare arduum foret, vid. tamen epiſtola Celeberrimi Vieuſſens ad Ampliſſimam Facultatem Medicam Lipſienſem ſcripta.) globoſis, reliquis ſeroſis intermixtis, dependet, quæ dum vita conſtat eam habent diſpoſitionem, ut lucem certa ratione modificent: quam modificationem ex ſenſatione in Mente orta colorem rubrum nominamus. Derivatur is a Charletono *Oecon. Anim. Exerc. IV. §. 9. ſq.* a calore motuque Spiritus vitalis, & cauſis acceſſoriis organicis aliis, ut cordis fabrica, arteriis veniſque; A Davide vero von der Becke *in Experim. & Medit. circa rer. natur. princip.* L. 1. p. 62. a mixtura partium ſulphurearum acidarum cum ſpiritibus alkalicis. Majow vero de Sal-Nitro cap. VIII. particulas Nitroſas cum ſalino ſulphureis commixtas cauſam coloris ſtatuit. Alii alias in medium afferunt cauſas. Quanquam vero pleræque partium hos globulos ſ. veſiculas colorem in vivis conſtituentium etiam poſt mortem ſubſtantiæ ſanguinis commixtæ maneant, & poſt ſeceſſum a ſero coagulum quoddam conſtituant; non tamen colorem rubrum, ſed atrum & nigricantem oculis noſtris offerunt, quoniam radii cœleſtes tanta vi eoque modo non reflectuntur, ac cum naturalis ille vigor, motorque vitalis aderat. Sed abſorbentur, & paucisſimi ea via redeunt, vid. Excellentiſſimi Bohnii *Circul. Anat. Progymn. XIII. p.* 200. Vieuſſens *de Remot. & proxim.*

xim. mixt. princ. Tract. I. c. XIV. p. 137. Et Neurôgraph. *L. I. c. IV. p.* 51. Quemadmodum videmus ſanguinem craſſioribus partibus onuſtum coloris vividi magnam pati jacturam. Hæc colorum diverſitas cauſa fuit, cur Majores noſtri ſanguinem, Venæ ſectione emiſſum multis pelviculis excipiendum præceperint: vid. Fernel. Meth. Med. L. II. c. XVII. Quoniam ſcilicet videbant, ſangvinem prius ex vena proſilientem nigriorem eſſe quam ſequentem, arbitrantes hunc eſſe ſanguinem qui morbum produxerit, volebant tantum ejus detrahendum eſſe, donec melior fluxerit; Teſtes ſint Hippocrates *de victu acutorum cap. XII.* Et Tavernier *Itin. ind. P. II. c.* XIII. Non equidem omne de ſanguine emiſſo judicium ſpreverim; Illud tamen dico, nigredinem, imo & alium colorem non ſemper malæ diſpoſitionis verum ſignum eſſe, ſed vel ab inſufficienti miſcela ſanguinis cũ ſuis partibus, vel ligaturis membrorum, quibus revera motus ejus turbatur, vel animi motibus, vel cibis & potu noviter ingeſtis, ſimilibusque derivandum venire.

OBS. V.

MAXIMUM MAGNI CEREBRI VULNUS ALTERO DIE HOMINEM INTERIMENS.

EGregium Hippocratis noſtri monitum eſt, quod in Libri de capit. vulner. proem. inculcat: *Capite,* inquiens, *vulnerato interrogare oportet, per quid vulneratum ſit, quid homo fecerit cum vulneratus fuit, poſtea, qua parte vulnus inflictum ſit.* Hæc enim ſi quis perpenderit, longe facilior de lethalitate aſſerenda vel neganda futura erit deliberatio.

Año MDCLX. Die nono Julii Juſſu Ampliſſimi Magiſtratus perluſtravimus cũ Excellentiſſimo C.V. Schneidero Prof. P. Wittebergenſi & Archiatro Anhaltino, corpꝰ cujusdam molitoris, Cort Peters hominis viginti trium vel quatuor annorum, qui antecedente die in conflictu, ſecuri in capite graviſſime vulneratus, hoc mane in-

ter vivos eſſe deſierat. Præter contuſionem alterius malæ, quæ quidem ad mortem nihil conferre, ſed ad majorem excandeſcentiam hominem in pugna concitare potuit, oſſi occipitis verſus ſiniſtram aurem gravis injecta fuerat ſecuris, unde cranium longiſſimam egerat rimam, quadrantem ſcilicet ulnæ excedentem, excurrebat ea ab ultimo occipitio usque ad os temporum, tantaque ejus erat diſtantia, ut auricularis digitus commode interponi eidem potuerit. In parte capitis antica alia conſpiciebatur fiſſura, in oſſe temporali etiam deſinens, ſed exigua. Qua violentiſſima plaga ipſum cerebrum non tantum concuſſum, ſed etiam profundiſſime diſſectum fuit, ita, ut ſtatim cum peremti caſu in terram portio cerebri in gramen excuteretur, cumqve ſemivivi ſine ſenſu & voce procumbentis vulnera eſſent tractanda & obliganda, qvantitas ejusdem, magnitudine nucis juglandis, proflueret. Exæquabat nihilominus cerebrum & cerebellum, aliqua parte licet mutila, ad ſtateram revocata, duas cum dimidia libras, non medicinales, ſed communes, ſedecim videlicet unicarum.

Annotavit ſcilicet b. Parens ab Ampliſſ: Schneidero monitus cerebri hujus pondus, quod magnum fuerit, & inter rarius obſervata collocari mereatur. Scimus, grande reſpectu cœterorum animalium hominibus a benigniſſimo Creatore impertitum eſſe cerebrum; cujus magnitudinem duorum boum cerebra excedere olim affirmavit Rufus Epheſius, quam tamen Jo. Riolanus multum auget Antropograph. L. IV. c. II. p.m. 385. *Diligentius*, inquit, *examinanti cerebrum humanum tam mole quam pondere ſextuplo majus bubulo apparebit.* Annectit etiam ſtatim obſervationem de pondere cerebri mercatoris noſtræ ſimillimam. Confert autem cerebri amplitudo non parum ad ſapientiam, & ingenii acumen, quod multas impreſſiones externas recipere, retinere, & ſuo tempore perceptiones tales invicem conjungendo, circa varias res ſeſe determinare poſſit anima. Præterea ex copioſo ſanguine allato copioſi ſecernuntur ſpiritus animales, & vigor undique

enaſci-

enaſcitur, ut mutuum commercium partium cum partibus, harum cum toto, & præcipue corporis cum anima ſalvum ſit atque incolume. *Nutritur enim* (mens hominis) *neque cibis neque potibus a ventre, ſed pura & illuſtri ſubſtantia ex ſanguinis diſcretione nata.* Hippocratis verba ſunt Libro de Corde Cap. VIII. §. 9. ſq. Parvo vero capite reſpectu reliqui corporis præditos & cilones, ad tantam ingenii felicitatem, ac quidem macrocephalos pertingere, non tam obſervatione frequens eſt. Nam, ut Andr. Laurent. Anatom. L. X. c. IX. p. m. 522. Edit. Pariſ. Gall: & ex eo Jo. Riolanus c. l. inquit: *Principum facultatum varietas opus habet magna & jugi quantitate ſpirituum, qui non poſſunt aliunde quam ex abundanti ſanguine ſuccreſcere; multus autem ſanguis anguſto ſpatio contineri non poteſt.* Hinc juxta Æginetam L. 1. c. 62. *exiguum caput pravam cerebri ſtructuram proprie notat.* Recordor, me Amſtelodami anno MDCXCVII in Gyrgatho (Jecken Hauſe) vidiſſe mulierem mente captam & maxime anguſto capite præditam, quæ illud omni fere momento manibus huc atque illuc impellebat, invertebat, & miris modis agitabat, digito quaſi monſtrans, cauſam mali latere in capite. Opinioni huic contrariari videntur quidam Clariſſimi Viri, ſuſtinentes, ad ſtupiditatem potius facere magnum cerebrum, quod magna ejus moles, ductuum craſſities, & humorum major copia mentis operationes impediant. Sed quando conſideramus molem, ſi ita vocanda eſt, cerebri non inertem eſſe, ſed copioſiſſimis conſtare ductibus quibus mediantibus ſuccus nerveus ſeparatur a Maſſa ſanguinea, apparebit, nihil hic ſuperfluum nihil nimis ponderoſum, ſed omnia relativa & proportionata eſſe. Ductuum autem craſſities non tam ſupponenda videtur, quam amplitudo fortasſis, quæ humoribus in majori copia capiendis par ſit. Ob ampliores nervos ingenio acuto præditos eſſe in principio infantes Rhachitide laborantes innuit Doctiſſimus Ortlob *diſſertatione de Rachitide* §. VIII. Conf. Hipp. *de Flat.* c. XX. Cæterum corpus ſanum ſupponimus, non

ægrotum. Alias tam parvum quam magnum cerebrum ſuos patitur manes. In prognoſi igitur talium aliarumque ægritudinum formanda, capitis, cæterarumque partium conſideratio merito præcipitur. Inculcat id rurſus diligentiſſimus Hippocrates Libro de veteri Medic. cap. XLI. §. 25. ſqq. *Multa vero,* ajens, *etiam aliæ & extra & intra corpus figurarum ſpecies ſunt, quæ magnopere inter ſe differunt, quod ad affectiones pertinet tum ægroto tum ſano: velut capita parva aut magna, colla tenuia aut craſſa, longa aut brevia, ventres longi aut rotundi, pectoris & coſtarum latitudines aut anguſtiæ, & alia infinita, quæ omnia noſſe oportet quatenus differant, quo cauſas ſingulorum cognitas probe obſerves.* Magnum tamen caput non neceſſario bonam ſemper teſtatur cerebri ſtructuram aut hujus magnitudinem; cum fungum aliqui poſſint habere pro cerebro, parvumque nucleum in magno & craſſo putamine incluſum.

OBS. VI.

A FISSURA CRANII POST QVATUOR SEPTIMANAS MORS.

ANNO MDCLXIV. menſe Februario Vir triginta trium vel quatuor annorum baculo duos digitos craſſo in regione temporum ictus, ſupinus concidit, caput ad caſam, lignorumque ſtruem allidens; lignis findendis enim dabat operam: Mox vero ſeſe recolligit, ſurgit, & percuſſorem agreſſus manibus cum eo inimiciſſimaque confligit mente. Altero die male habet, nec conſuetos ſubit labores, nullibi tamen quærit Medicinam ſed usque in tertium diem in caſa humi proſtratus decumbit. Die quarto curru ſeſe vehi in Urbem, & venam quam Medianam, quod inter cephalicam & baſilicam media ſit, vocant, ſibi pertundi curat. Capiti tamen nondum proſpicit auxiliis, ſed ei proprio conſilio mel illinit. Secunda Septimana balneatorem accerſit, qui ſangvinem

nem non tantum Venæ ſectione ex pede, ſed & curbitulis ſecunda vice impoſitis educat. Poſtea cum tertia vice ſcarificationem a balneatore poſtularet, hic non modo non cenſuit eam inſtituendam eſſe, ſed etiam diſſauſit. Ille tamen rationes nihil moratus it in balneum, & ſcarificationem repetit. Cæterum caput parum curat, multo minus cutem in temporibus diſcindi concedit, ſolutamque tenet diætam. Quarta tandem ab accepta plaga ſeptimana moritur. Die primo Martii a Magiſtratu poſtulatus capitis interanea defuncti luſtravi. Quod partes externas attinet, cutis in nucha & pone aurem usque ad collum livida erat: Cumque appareret dextrum capitis latus percuſſum eſſe, cutim ſupra dextram aurem usque ad cranium diſcidi: Ubi ſtatim apparuit livor pericranii, & partis muſculi temporalis contuſio. Deinde omnia integumenta cranii diligenter ſeparanti obtulit ſeſe rima cranii, quæ prope meatum auditorium incipiens, extendebatur per os atque ſuturam temporalem, porro per os parietale & ſuturam coronalem usque ad os frontis, ubi deſinebat; erat ſcilicet ſex transverſos digitos longa. Cum ita ſequeremur fiſſuram, ſanguis ater per eam penetrabat. Calvaria ſublata conſpiciebatur ſinus falciformis cum vaſis duræ matris ſanguine repletus. Meninx ipſa illæſa erat. In latere autem ſiniſtro in ſuperna cerebri parte prope ſinum falciformem parum materiæ purulentæ piſi majoris præter propter magnitudine reperiebatur; Reliqua ejus parte bene conſtituta. Ventriculus autem præprimis dexter multam quantitatem aquæ pure mixtam concludebat: Et inferius originem Nervorum & maxime cerebellum multum tenuis ſaniei circumfluebat.

Expedire Medicis & Chirurgis tempeſtatum anni rationem habere in judicio de vulneribus ferendo, quotidiana docet experientia; & magnus Hippocrates generali hoc præcepto aureum librum de äere, aquis & locis orditur: *Quicunque*, inquiens, *artem medicam integre aſſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat.* Dum

enim æther per craſſum aërem hyeme diſperſus non tam expedite, nec tam copioſe movetur, ob Solis a noſtra telluris parte diſtantiam, corpora etiam, quæ motu ejus actuantur, in ſuo ſeſe ſtatu diutius conſervant, neque alteratione immutantur. Quando vero externa vis ætheris æſtate fortior eſt, porique magis aperti ſunt, omnia liberius pervadit, & corpora ſibi obvenientia ex ſuo ſtatu deturbat, alterat, fortiusque commovet. Hancque crediderim rationem, quod vulnerati citius vel tardius ex certis vulneribus obeant, uti in præſenti caſu factum fuiſſe arbitror. Diſerte rurſus Venerandus Senex Libro de cap. vuln. c. V. §. 1. *In hyeme diutiore tempore vivit homo quam in æſtate, quisquis etiam alias moriturus eſt ex vulnere, quacunque capitis parte vulnus habeat.* Sanguis enim extra vaſa profuſus motu communi non amplius circumagitur, ſed quietus jacet: Quia autem ex diverſis conſtat particulis, illæ ab æthere commotæ in ſe ipſas agunt, calorem concipiunt putredinoſum, & invertuntur a priſtina textura in aliam, quæ quam longiſſime a ſtatu naturali recedit; Et quoniam ſanis partibus incumbit, pondere, calore, manifeſtisque qualitatibus illis tam diu incommodat, donec in eundem motum ſecum conſentientes ſimili modo corrumpantur. Quod, dum hyeme tardius fit quam æſtate, ubi calor & commotio major eſt, hinc longior partibus corporis conceditur integritas. Quo & non parum facit robur, viresque hominum vulneratorum integræ. At enim vero, ſi juxta aphoriſmum Hipp. 15. Sect. I. *Ventres hyeme ſunt calidiſſimi;* conficietur potius, morbos, qui in hoc tempus cadunt, breviores fore, & corruptionem citius diſſoluturam corpora. Perſpiratio in hyeme non tam copioſa ſine dubio movit egregium Virum ut hæc ſcriberet. In ſe quippe conſiderata hæc ſententia, dubia magis quam certa eſt. Præter ea enim quod ſecretione urinæ in renibus compenſetur, quod ſuperficiei externæ decedit, plus etiam humoris, perſpiratione non tam copioſa exiſtente, retinetur in corpore, qui ſangvinem diluere poteſt; Si vero hic diluitur, ſulphureæ, ſalinæ, & reliquæ impetum

facien-

facientes particulæ temperantur, & dividuntur, quo moleſtæ eſſe nequeant, ſenſumque caloris in noſtra mente producere. Confirmat hæc ipſe Hippocrates, quando ſtatim addit: *& ſomni longiſſimi.* Somnus autem an a calore oritur? Dubito. Noctis eſt filius juxta Heſiod. *de Deor: gener. v.* 213. adeoque quietem amat. Quando ſcilicet partes aquoſæ, vel earum rationem habentes &c. cum aliis permixtæ impetum reliquorum frangunt, partes nervoſæ permulcentur & blande concidunt, ipſi humores langvidius moventur, & ſpiritus animales non ſufficienter in membra influunt, ſicque ea a laboribus feriantur. Qui effectus ab aliis cauſis ut labore, &c. etiam produci poteſt, quatenus diſſipantur ſpiritus & roſcidæ partes dominium in reliquas habent, vel nervi ex tenſione nimia & forti debiles fiunt. In ſtatu contra vigiliarum, omnia ſuſcitantur & vivida ſunt. Ipſi quoque infantes de cauſa ſomni teſtari poſſunt. Præprimis autem conferatur Eruditiſſimi Pechlini Obſ. XLI. & XLIII. L. III. Ubi noſtram ſententiam egregie confirmat; Sed vero concoctio melior, & appetitus major in & ex ſomno. Nec hoc effatum omni ſcrupulo caret. Blanda quidem amat Natura, non vehementia: Sed hic proprie ſomni qua ſomni non magna pars eſt. Ad concoctionem ſufficiens liquoris temperati ſaporis quantitas, & fibrarum ventriculi robur, debitaque conſtrictio & relaxatio requiritur. Si hypotheſin antiquiſſimam Dionyſii Ægei, cujus in recenſione ejus Photius mentionem facit in ſua Bibliotheca p.m. 429, quamque Celeb. Pitcarne *diſſert. III.* §. 7. p. 68. confirmat, ut non alienam a ratione non rejiciamus, chylificationem ſcilicet attritione & comminutione partium animalium & vegetabilium, & hac ratione redactione in antiquum chaos, nempe partes nutritias, perfici officium ventriculi tempore ſomni vilius futurum eſt; cum in vigiliis hæc vividius peragatur conſtrictio. Appetitum autem non excitari ſomno mures montani docere poſſunt, & homines deſidiæ dediti. Totum negotium eleganter Polyhiſtor Plinius illuſtrat Hiſt. Nat. L. XI. c. LIII. *Somno*, ait, *concoquere, corpulentiæ quam firmitati*

uti-

utilius. Ideo athletæ malunt cibos ambulatione perficere. Pervigilio quidem præcipue vincuntur cibi. Deinde curatio & diæta hyeme inſtituenda ventres non eſſe calidisſimos, confirmant. Ipſe Hippocrates vult frigidis temporibus calidiora & calidis frigidiora applicari debere remedia. *Idiotas & privatos homines hac diæta uti oportet. Hyeme quidem comedere quam plurima, bibere autem quam parciſſime. Sit potus vinum quam meraciſſimum.* De Salubr: Diæt. c. I. §. 1. 3. *In hyeme victu utendum eſt ſicco & auſtero & calfactorio & ex toto collato ac meraco.* De Diæt. L. III. c. III. §. 4. & per totum caput. Ex quibus omnibus clarum evadere videtur, ventres non eſſe calidiſſimos, ſed calidis rebus opus habere: Deinde, iſtum aphoriſmum generali regulæ, de diuturnitate vel brevitate ægritudinum ex vulnere, tempore hyemis vel æſtatis, nullum ſcrupulum injicere. Sed e diverticulo in viam. Hæc aeris temporisque varietas Criſium certo reſpectu mater eſt, quæ robur naturæ & morbi, eorumque proportionem interdum modificat, (interdum autem ſolitarie criſes in morbo & natura, viribus & ſymptomatibus fundamentum habent.) Ut ſtatuit Jo. Bickerus *in Chir: Hermet. Sect.* I. c. III. §. II. Quæ certorum dierum criticorum dictorum obſervatio, utut non omni careat utilitate, in vulneribus tamen, præſertim capitis, eam non ita attendendam eſſe arbitror, ut propterea eorum reſpectu de ſimplici & accidentali lethalitate aliquid ſtatuendum ſit. Moritur aliquis ſecundo, vel tertio, aut ſeptimo ab accepto vulnere vel contuſione die, alius vero vigeſimum & plures dies poſt læſionem ſuperat quos criticos vocant, attamen ſimiliter obit. An igitur vulnus hoc, quia homo tam diu vixit & periculoſiſſimos criticos dies evaſit per accidens lethale dicendum erit? Minime crederem. (Utut probabilius videatur, vulneraratum ex vulnere obiisſe ſi breve tempus læſionem & mortem intereſſerit.) Sed omnium actionum & ſymptomatum in vita ægri, ipſiusque partis læſæ conſideratio, tum vero & præprimis accurata vulneris vel contuſionis

niſ poſt mortem inſpectio, verum renunciationis & judicii de qualitate vulnerum conſtituit fundamentum. An ſcilicet vulnus inflictum ſanari potuerit vel non. Audiamus virum Jure Conſultiſſ. Jo. Eiſenhart diſſert. de die critico vulner. ac percuſſ. lethal. cap. II. §. 4. *Multis autem & maximis*, inquit, *difficultatibus involutum eſt hoc de die vulnerum critico argumentum; dubitatur enim non tantum an omnino ſit aliquis dies criticus vulnerum lethalium, ſed etiam quotus ille ſit a die vulneris accepti, & porro, num in uno quoque vulnere ſit unus & idem. Et ſi omnino certus aliquis ſit ejusmodi dies, num tantam habeat fidem, ut ſi vulneratus eum ſupervixerit, licet non multo poſt eum moriatur, vulnerans tamen vel percuſſor a reatu homicidii ſit liber, & tantum de vulnere teneatur. &c.* *Si autem*, §. 14. pergit, *in percuſſionibus vulneribusque gravioribus quidem, ſed tamen dubiæ nec exploratæ lethalitatis dies aliquis criticus, ut communi quoque hominum opinioni velificemur, ſtatuendus eſt, quem ſi vulneratus ſupervixerit, vulnus lethale haud fuiſſe judicandum ſit, licet idem poſt illum diem criticum deceſſerit; ſane trium, ſeptem, aut qui neſcio quo rumore differtur, novem dierum terminus indiſtincte non videtur ſufficiens criſin illam vel condemnatoriam vel abſolutoriam in quæſtione homicidii ordinariam pœnam merentis.* Quia F. Fidelis ex Hippocratis doctrina oſtendit *prava vulnerum ſymptomata tardius incipere, ac mortem ſimiliter evenire in hyeme, citius in æſtate. - - Eadem ratione ſi quando res in pejus eſt ſucceſſura tardius in ægrotante valido lethalia ſymptomata eſſe apparitura quam in imbecilli.* Addit Paulus Zachias Quæſt. Med. leg. Libr. V. tit. II. quæſt. V. num. 10. 11. *Palam illud eſt, nequaquam fieri poſſe, ut hæc temporis determinatio poſſit unica in omnibus vulneribus aſſignari, & indifferenter in unoquoque ſubjecto, imo neque in una eademque parte. -- Quin etiam alium terminum requirunt vulnera capitis, alium pectoris alium etiam viſcerum inferiorum, alium &c. Cum ergo in infinitum particularia variari contingat, variari etiam in infinitum hos ipſos terminos neceſſe eſt* Ita Zachias: Hinc §. 15. ait diem quadrageſimum pronunciaſſe criticum vulnerum quæ lethalia videntur, JureConſultos ex Schola Medicorum talia edoctos, in tantum, ut ſi vulneratus poſt eum deceſſerit præſumendum non ſit ex vulnere eum deceſſiſſe, niſi manifeſta vulneris lethalitas demonſtrari poſſit. Tandem §. 19. concludit, exactum examen debere inſtitui vulneris, in quo ubi natura partis vulneratæ, qualitas & quantitas vulneris manifeſtam

aut vitæ jacturam aut ſecuritatem demonſtrant (id quod ex ſincero Medicæ artis peritorum arbitrio æſtimandum) alia probatione haud opus eſſe. Latius ea a me adducta ſunt, quod diſſertationem hanc in paucorum manibus eſſe credam. Vid. etiam Stalp. van. der Wiel. L. c. Obſ. I. p. 10.

OBS. VII.

FISSURA CAPITIS SANATA.

SI autem Fiſſura cranii rite tractetur & obſervetur, atque ſanguis fortaſſis per concuſſionem profuſus juſto tempore divertatur, modo læſio non fuerit graviſſima, cum morte ea conjuncta ſemper non eſt; negligentiâ tamen lethalis fieri poteſt.

Anno MDCLXIV. die vigeſimo tertio Auguſti prope pagum Dieſen paſtor puero quatuordecim annorum latam manum ſuper oculum ſiniſtrum ad latus plagam infligit pedo; cadit protinus in terram puer; Mox frequentes ſuperveniunt vomitus, quo, quicquid ingeritur, confeſtim ejiciebatur. Vulnus aderat panniculi, ſub quo præterea tempora verſus multum ſanguinis collectum erat veluti in ſinum: Qui vulnere ampliato exemptus eſt, ne in pus abiens muſculo temporali jam dum percuſſo gravius inferret periculum. Cum hoc modo cranium perluſtrari poſſet, in conſpectum venit fiſſura ejusdem. Cujus diligentem cum haberemus curam, eſt ſtatim in initio venam ſecaremus ægroto, coiit rurſus & patiens integræ ſanitati reſtitutus eſt.

Maxime neceſſarium eſt, ut Chirurgi diligentiſſime inquirant in capite percuſſis, an cranium fiſſum ſit vel fractum. Quoniam ex neglecto hoc examine non gravia tantum ſymptomata, ſed ipſa ſæpe mors ingruunt. Tradit *Foreſtus Obſerv. Chir. Libr.* VI. *obſ.* XLII. in Scholio primaria aliquot ex Guidone: Quorum aliqua ſuſpicionem tantum fracturarum ſeu fiſſurarum in nobis

bis excitare poſſunt aliqua vero clare eas demonſtrant. Inter illa referri meretur I. Inſtrumenti lædentis & læſionis modi conſideratio. II. Dolorum & ſymptomatum vehementia. III. Admotio manus vel ægroti vel Chirurgi, dum caput undique pertrectat; experimur enim maximam partem capitis tangendo interdum premi, & nullum inde produci dolorem; ſi vero ad punctum illud in quo læſio facta eſt, manus accedit moleſtiſſimum excitari ſenſum. IV. Dolor ingens in interiore capite ex concuſſione fili dentibus apprehenſi, vel comminutione nucis aut alius rei durioris tentata. Sed hæc incertiora, & reliquis capitis contuſionibus communia ſunt, cum fiſſura vel fractura non conjunctis. Plane vero ἄτοπος videtur ſoni conſideratio, quam Foreſtus cit. loc. inter ſigna ſimul collocat, *rauce*, ajens, *ſonat*, *dum ejus caput percutitur cum virga*, *imo ego ſæpius animadverti admota aure vulneratum tanquam ex olla confracta locutum fuiſſe.* Quis enim caput jamdum ægrum ita feriat? Aut quid ſono proprie cum oſſe capitis fracto convenit? Si autem attendi deberet, valde inſignis adeſſet ſine dubio fractura absque tali percuſſione animadvertenda. An vero vult oſſis baſilaris fracturam indigitare? Sed nec inde ſoni tanta aut ſingularis modificatio ſperanda eſt. Certiora aliquanto ſunt ſpiritus compreſſio & retentio, qua peregrina in ægro ſenſatio, vel in panniculo carnoſo inæqualitas quædam oriri, aut ipſe ſanguis penetrans detecto cranio conſpici poteſt. Deinde etiam cranii depreſſio vehementior, ex qua inferiorem laminam fractam eſſe ſuſpicamur. Scultetus Armam. Chir. Part. 1. Obſ. XVI. p. m. 79. inquit: So offt ich bey erwachſenen Perſonen/ einen dergleichen Bug oder Eintruckung des Cranii befinde/ da halt ich ſolches für ein gar gewiß Kenn- und Merckzeichen/ daß die Hirnſchale einen Spalt bekommen habe. Certa vero indicia fracturarum & fiſſurarum præbent inſtrumento inæqualitatis cranii detecti & nudi facta exploratio, vel liquor aliquis tinctus illitus, hic enim a reliquo oſſe abſterſus in

fiſſura remanet. In minutiſſimis tamen fiſſuris & hæc criteria interdum fallunt; & in certis locis cranii hæc experimenta non ſufficiunt, ex. gr. ſi in loco ſuturarum læſio facta ſit; vox Hippocratis eſt de capit. vuln. cap. XVI. §. 1. ſqq. *Ruptio circa ſuturam facta, etiam diſſolutio ſuturæ eſt, & non facile eſt deprehendere, neque ſi a teli ſede fiat in ſutura, ubi rupta ſuerit ac diſſoluta. Verum difficilius eſt deprehendere fiſſuram ex contuſione. Fallunt enim & mentem & viſum medici hæ ſuturæ, fiſſuræ ſpeciem referentes, & reliquo oſſe aſperiores exiſtentes, niſi vehementer disſectæ fuerint ac disſolutæ.* Quid dicamus de contrafiſſuris? quibus dignoſcendis nullum criterium omnino certum exſtat: Non enim ſemper oppoſitam plagam capitis occupat rima, ſed vel lateralem, vel inferiorem vel interdum ſuperiorem; nuncque remotius nunc propinquius. Nec quidem de illis ulli hominum conſtat; Ut merito Pawius, gravis præprimis de capitis vulneribus ſcriptor, vere infelices hoc modo læſos appellet, quod nec ipſi ſciant an, & quo loco læſi ſint, nec Medicus & Chirurgus hac de re certiores fieri posſint, niſi cum jam conclamatum eſt. Hoc ergo relinquitur, ſigna fiſſuræ eſſe obſcuriora, præprimis ſi cutis illæſa ſit; Chirurgum tamen & Medicum omnem diligentiam in illis quovis modo inquirendis collocare debere, ut, ſi quidem fiſſura adfuerit, & poſt mortem demum diſſecto cranio appareat, ab illo tamen cognoſci omni licet adhibito ſtudio antea non potuerit, bonam habeat conſcientiam, ignorantiaque invincibili abſolvatur. Interim tamen nihil eorum omiti debet quæ ſaluti ægrotantis conveniant, quo pertinet perforatio cranii pro exigentia circumſtantiarum in tempore adornanda.

OBS. VIII.

MODIOLUS SINE COMMODO ADHIBITUS.

INter generoſiora remedia merito referri meretur trepanatio: Adeoque adhibita prius in conſilium ratione, & circumſtantiarum attenta conſideratione inſtituenda vel omittenda venit.

nit. Non dicam ipſam integumentorum cranii incisionem prava interdum non tantum concitare poſſe ſymptomata, ſed ipſum trepanum aut operationem non carere periculis, quæ *Thomas Fienus Chirurg. L.* I. *cap.*III. recenſet; imo diverſorum cranii locorum intuitu plane non habere locum modiolum. Interim tamen Empiricos quosdam laudare nequimus, qui nunquam trepanum adhibentes ſolis medicamentis contenti fuerunt, directe ſcilicet contrarii aliis hujus ſectæ aſſeclis, qui ſine diſcrimine in omnibus perforabant cranium. Medium tenuere beati. Si indicia adſint vel ſanguinis aut lymphatici humoris intra cranium effuſorum, vel ramentorum oſſeorum ab interiore lamina ſeparatorum & meninges pungentium &c. Et ætas, cranium, præſentiaque ſymptomata illud non impediant, operatio hæc cum ratione peragitur: Quoniam hoc modo membranæ cerebri, ipſumque non raro cerebrum pondere aut ſpina liberantur; quemadmodum præter quotidianam experientiam, & ſcriptores antiquos, Exercitatiſſimus Solingen & Stalpart van der Wiel teſtantur. Fit tamen interdum modiolum ſine fructu adhiberi, non quidem Chirurgi, ſed materiæ decumbentis culpa, quæ profundius aut ſub membranis jacet, aut nimis arcte meningibus adhæret, ut eximi vel propelli non posſit. In quo quidem caſu præter medicamentorum uſum nihil tentari poteſt, ſed fato ſuo relinquendus videtur æger. Cæterum differendum non eſt (ſi quidem occaſio id concedat) hoc auxilium in aliquot dies, in qua hæreſi quosdam ex antiquis hæſiſſe novimus, quod ſanguis interea vel corrumpi, vel membranæ ramentis infixis aut prementibus compunctæ & affectæ inflammationes, gravioraque mala contrahere poſſint. Proſtant equidem obſervationes utiliter adhibiti trepani in concusſionibus & vulneribus capitis a longo tempore jam dum inflictis; At enim vero non eadem omnium plagarum, & in omnibus hominibus eſt ratio, aut eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus o-

piculantur, & quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvare poteſt; juxta Celſum præf. L. I. p. 18. & L. III. c. IX. p. 138.

Homo robuſtus anno MDCXLIII. inſtrumenti mallei in modum formati, (einen Streit-Hammer) acie in ſuperna capitis parte vulneratur, ita ut ipſum cranium penetraret vulnus, primis tamen diebus nulla gravia ingruunt ſymptomata; die circiter a læſione decimo ſeptimo a Chirurgo Urbis la Fere in Picardia, Galliæ provincia ſitæ, modiolus adhibetur. Paucis autem diebus poſt calor inſignis, febris & tandem ipſa mors ſuperveniunt.

Nec vero in majoribus capitis læſionibus modiolus ſine commodo adhibitus eſt, ſed etiam in non admodum gravibus contuſionibus capitis. Sequenti anno ſcilicet MDCXLIV. manipulus militum in eadem ejusdam Provinciæ urbe æſtivabat: Percutiebantur aliquibus interdum, ut fit, a præfectis capita baculo, ſi contra mandata quicquam perpetraſſent. Vel etiam milites & alii cadebant in caput. In initio admodum levia aderant ſymptomata, ſed poſt ſeptem vel octo dies tanto magis ingraveſcebant cum febri. Omni circumſpectione quidem & diligentia inſtituebatur curatio; Trepanum vocabatur in uſum; Omnia tamen fiebant fruſtra, & brevi moriebantur ægri, ita ut ex multis duo vel tres ſanitatem tantum recuperaverint. Poſt apertionem craniorum in omnibus fere plus minus puris vel inter duram piamque meningem, vel & præprimis quidem ipſi ſubſtantiæ cerebri incumbens inventum eſt. Qui profundus vel ſanguinis vel puris ſitus cauſa fuit, quod trepani ut ut adhibiti nullus fuerit uſus. In quibusdam in medio hepatis apoſtema cum copioſo fellis effluxu obſervavi.

De abſceſſu purulento in hepate obſervato idem refert Pigray c. l. p. 369. Sed cur abſceſſus fit in hepate? A copioſiſſimis vaſis ſanguineis denſiſſima ramificatione per corpus ejus protenſis illud forte derivandum eſt: Quæ ex ſanguinis febrili excandeſcentia labem contraxerint, partibusque vicinis communicaverint. Obſervantur Sympathiæ tales in corpore morboſo, quarum ratio

ſæpius

ſæpius non ita evidens eſt. Præter hanc & Pigræi[f] obſervationem, aliam communicat Hollerius de hepatis abſceſſibus per crurum dolores indigitatis: *Mirum forte*, inquit, *quod nos bis terve obſervavimus, dolores cruris aut ſuræ intolerabiles, qui neque fotu, neque litu neque Cataplaſmatis ceſſerunt; mortuis vero ægris crura novaculis incidimus, & pus album, pallidum, ac leve erupit ſpatiis inanibus muſculorum diffuſum & majori vena concluſum, atque ut notaretur locus, unde pus huiusmodi veniret, aperto ventre vomicoſum jecur & putridum inventum eſt, & taliter affecti procul dubio moriuntur.* Comm. II. ad Libr. II. Coac. Hippocr. p. 348.

OBS. IX.

OSSIS BASILARIS FISSURA ET FRACTURA.

ANNO MDCLXXX. die ſecundo Auguſti Caſparus Ering Lanionis ſervus viginti duorum circiter annorum ligno graviſſime in capite ictus in terram prolabitur, ἄφωνος fit, ſangvis largiter ex ore promanat, & ſexta poſt acceptam plagam hora moritur. Præter muſculum temporalem contuſum fractura inſignis conſpiciebatur utriusque cranii laminæ a ſutura coronali, (quæ in dextro latere ſanguinem ſudabat) ad dextri oculi orbitam protenſa, ubi verſa quaſi in os baſilare extendebatur quod tanto ſpatio hiabat, ut dorſum cultri interponi potuerit. Oſſis particula angularis magnitudine groſſi ab interiori lamina oſſis frontis plane ſeparata erat. Præterea cerebrum undique contuſum & a quinque unciis ſangvinis coagulati duræ matri incumbentis valde compreſſum erat. Diſſectioni huic adſtitit Excellentiſſimus Röſelerus Conſul, Profeſſor & Phyſicus meritiſſimus.

Anno MDCLXXXII. die decimo quarto Februarii Jacobo Siebert, Servo Conſulis Kalbenſis, unius & viginti annorum a ruſtico calvaria vecti incuſſa frangitur, ſenſibus ſtatim privatur, & die

deci-

decimo ſexto moritur. Præter maximam cranii fracturam & cerebri membranarumque læſionem, ampliſſimam mecum vidit fiſſuram Experientiſſimus Scheubanus Archiater Sereniſſimi Principis digniſſimus, non tantum os frontis, ſed etiam cribriforme ſ. ethmoideum, & porro ſellam equinam penetrantem, a qua particula majoris piſi magnitudine ſeparata erat. Mirum omnibus fuit, hominem tam graviter læſum in ſecundum diem vivere potuiſſe.

Majorem autem hujus oſſis fracturam in aurigæ capite enormiter læſo cum D. Gothofredo Händeln/ Medicinæ Licentiato & Practico Barbienſi anno MDCLXXVII. die decimo quarto Julii obſervavimus, in quo pars oſſis baſilaris articuli digiti longitudine & latitudine contuſa & ſeparata erat inter ſinus lateris dextri prope foramen quod nervo optico tranſitum concedit.

Simile fatum, eandemque calamitatem, quanquam cum tam ſubita morte non conjunctam expertus eſt anno MDCLXV. die primo Julii Vir ſexaginta octo annorum, integrarum tamen virium, ruſticam vitam agens, cereviſia ſaucius; Hic cum alio, ex urbe veſperi domum progrediens, jurgiis litibusque, ut facile inter ebrios fit, implicatur; mox ferro malleato & extenſo, (einem Stabe Eiſen) tanta vi caput ejus percutitur, ut protinus in terram prociderit. Altero aufugiente, per totam noctem jacet ſub dio, aperto capite, & mane demum vehitur domum. Caput luſtrantibus nobis cum D.D. Ant. G. zur Hellen Archiatro Anhalt. non tantum externum cutis vulnus, ſed etiam inſignis cranii fractura duplicata quaſi cum depreſſione verſus regionem temporum, & fiſſura ſeſe offerebat. Circumſpecte itaque, non inconſulto Medico, tractamus deligamusque vulnus, & ad avertenda ſymptomata, in talibus caſibus familiaria venam ſecamus in brachio. Sequentibus diebus æger reſpectu vulneris & plagæ ſatis bene valebat, neque febri nec alio graviori ſymptomate præſente: Interdum ſangvis, interdum aqua quædam ſublutea ſangvine miculisque cerebro ſimilibus per-

mix-

mixta ex fractura ejiciebatur, quoties ore naribusque clauſis niteretur patiens; quibus ejectis, gravitas, quam in capite ſentiebat, evaneſcebat. Ad ſummam, omnia ita procedebant, ut Medico & Chirurgo ipſique ægroto, credulam imo & magnam de ſanitate recuperanda injicerent ſpem, eo magis, quod Medicamenta interna diligenter etiam adhiberentur. Die vero Menſis Julii decimo vulnus ſiccum erat, licet aliquid excutere vi niteretur æger, & circa veſperam, cum vulnus tractaretur, de magnis capitis doloribus conqueſtus in ſomnum cum ſtertore conjunctum cadebat: Excitare quidem eum optimis remediis, ſed nequicquam tentabamus. Sequenti nocte, vox, auditus & viſus oculi dextri, cum rationis uſu, & die decimo quarto menſis vita per quatuor dies miſere ſine ſenſibus acta diſparebant.

Cum diſſecaretur cranium (I) fractura ejus paulum a ſutura ſquamoſa in latere dextro & principio oculi orbitæ usque ad coronalem extenſa clarius conſpiciebatur. Sutura item coronalis usque ad ſquamoſam ſiniſtri lateris in tantum dehiſcebat, ut acies cultri anatomici commode intrudi potuerit. (II) Dura mater, quæ tam firmiter cranio cohærebat, ut vix ab eo ſeparari potuerit, diſrupta erat cum ſubjecta pia matre: Huic parum cerebri incumbebat, ipſa vero purulento quaſi colore infecta obſervabatur. (III) Coagulati ſangvinis &c. parum quidem ſuper vel ſub ea apparuit, antea vero, cum ſerra auferetur calvaria, multum atri ſangvinis per rimam, &, cum in ventrem verteretur corpus, magna ſaniei tenuioris copia ex ore naribusque profluxit (IV) Cerebrum nihil vel parum a conſiſtentia & colore naturali receſſerat, ſub ſutura autem coronali ex pauco ſangvine atro notam retinuerat. Nec cerebellum labem contraxerat, niſi quod in ea parte, qua cavitati oſſis occipitis incumbit, tenui pure infectum eſſet. Poſtquam igitur omne cerebrum diſſectum, capiteque exemptum fuit, (V) tandem apparuit fiſſura a principo fracturæ ſuper proceſſum internum oſſis ſphenodiis ad proceſſum fere acutum ejusdem oſſis ſeſe ex-

tendens; circa finem fiſſuræ duo ramenta (Splitter) a reliquo oſſe ſeparata conſpiciebantur, quorum alterum monetam minimam integram (einen Pfennig) alterum dimidiam magnitudine exprimebat.

Veriſſimum eſt, quod alter Celſus, doctiſſimus Fernelius, Patholog. Libr. VII. c. X. p. m. 247. ait. *Nonnunquam ſine his* (ſangvinis per aures & nares fluxu, bilis vomitione & vertigine, &c.) *quosdam vidimus fracta calvaria dies circiter octo quaſi minime affectos ad conſueta munia prodire, quos tamen poſtea ingens ſymptomatum turba proſtravit.* Afficiuntur ſcil: interdum capitis partes, quarum cum aliis conſenſus & connexio tam arcta eſt, ut non ob proprium ſed communicatum vitium immedicabiles earum fiant læſiones; vitæ tamen longior vel brevior uſura ſit quo gravius vel levius convelluntur ſub vel adjacentes partes: Vires magis vel minus firmæ ſunt: Valetudo firmior vel debilior: Ætasque bona vel mala, florens aut ingraveſcens. Interdum etiam ſitus lethalitatis cauſa eſt, ut manus auxiliatrices ferre nequeamus. Interdum ex ignorantia invincibili loci affecti, ut Medicus vel Chirurgus nullo certo indicio hanc vel illam partem læſam eſſe ſuſpicari aut pronunciare queat, moritur æger. Quæ circumſtantiæ cum in oſſe ſphenoide attendendæ veniant, non mirum eſt, eodem fiſſo & partim fracto hominem fatis cedere. Quid delicatius & ſenſibilius eſt oculis & lingva? quas partes benigniſſimus Deus denſiſſimis nervorum ramificationibus donavit; Hiſce autem dictum os cuneiforme per foramia ſua tranſitum partim concedit. Quid dicam de vaſis ſangviferis, quorum non pauca hic invenias. Si itaque contingat, tam nervos quam ductus ſangviferos gravi capitis contuſione concuti imo & rumpi, nil aliud quam ingens & lethalis totius oeconomiæ animalis turbatio ſequi poteſt. Præprimis cum eo loci malum hæreat, quo humana induſtria vel prudentia nil adjumenti ferre poſſit, atque adeo effuſus liquor tanquam internus hoſtis, latensque fur cuncta deprædetur, vitæque columnas tandem

ſub-

ſubvertat. Rumpitur vero in remotiſſima fiſſuræ parte ipſum os, propter motus vehementiam, & conſequentem tremorem, qui fibris oſſei, primo concuſſionis momento communicatus eſt; ſed quoniam in recta linea continuari non potuit, factum eſt, ut aliquæ partes diverſum ſitum, minorem tamen reſiſtentiam habentes impetui ceſſerint, atque a reliquis ſeceſſionem fecerint. Rem ita eſſe non dubitabitur, ſi conſideramus fibras oſſium primis ætatis annis flexiles quidem eſſe, copioſioremque ſuccum nutritium admittere; ſuccedentibus vero annis magis magisque indureſcere, tandemque, ut in præſentis ægri ætate, lapideam quaſi duritiem aſſumere, [vid. *Riolani Comm. in Libr. Galen. de Oſſib. cap. VII. quæſt.* 5. *p.* 740.] omnesque motus ſibi impreſſos recta linea, quantum in ſe eſt, continuare, nec dextrorſum vel ſiniſtrorſum cedere. Quoniam autem Os baſilare πολύμορφον eſt, ſiquidē non tantum variis proceſſibus majoribus minoribusque, foraminibusque utrinque ſeptem, propriis & communibus, conſtat, ſed etiam ex aliquot in minima & aliquantum procedente ætate componitur oſſibus, quæ tractu temporis in unum aliquod coaleſcunt; (Controverſia enim de numero horum oſſium in infantibus non magni momenti aut uſus eſt, dum *Volcher. Coiter de Oſſib. fœt. abort & infant. cap.* III. *J. Riolan. c. l. cap. VIII. p.* 795. *& Clar. Ph. Verheyen Anat. Tr. V. cap. III. p. m.* 222. in prima ætate quatuor: *Henricus* vero *Eyſſonius de Oſſ. Infant. cap.* III. *p.* 37. *& Iſ. Diemerbroek Anat. Lib.* IX. *c.* VII. *p. m.* 532. tres; & *J. Riolanus c. l.* in adultis, usque ad duodecimum annum, duas hujus oſſis partes eſſe voluerunt; & facili negotio fortasſis componi poteſt lis: Natura enim in aliis feſtinat magis in opere osſificationis quam in aliis; & juxta Hippocratem *de capit. vuln. cap. I.* §. I. *hominum capita nihil inter ſe ſimiliter habent.*) fibræ non eundē nactæ ſunt Situ͂, ſed diverſum. Quando igitur inſtrumento validisſimo percuſſum eſt caput, motus iſte partibꝯ continuis cum pluribus gradibus com̄unicatus eousque procesſit, (obq; vehementiam rimā ſimul induxit) quousq; per lineam rectam potuit; ſtatim

vero atque aliud fibrarum ſtratum occurrit, repercusſio quædam ac nova motus determinatio fieri debuit, quæ ubi ſine læſione ob poſituram fibrarum locum invenire non poterat, vehementi alliſione eaque tremula partes osſis alterius fibrarum ſtrati debiliores fortius commotæ a reliquis ſeparatæ ſunt; quemadmodum videmus caput fiiſtulæ tabaci excuti, ſi extremitas fiſtulæ allidatur menſæ ob diverſum partium ſitum, variumque ad ſe invicem reſpectum.

OBS. X.

OSSIS OCCIPITIS INSIGNIS FRACTURA SANATA.

EUm ſervari non poſſe cui baſis cerebri percuſſa ſit, præcedenti quidem ad mentem Celſi *Libr. V. c.* XXVI. *p. m.* 238. vidimus obſervatione, huic enim os baſilare ſeu cuneiforme baſis cerebri audit. Baſin vero cerebri percuſſam, ſi Avicennam ſequaris, etiam ſanari poſſe, hac demonſtratum ibimus obſervatione: Ita enim ille: *Baſis cerebri eſt hoc os* (occipitis) *quod omnia alia ſuſtinet oſſa, ita durum propter duo juvamenta fuit creatum, unum eſt, quod duritiei ad portandum juvat, & aliud quod durum minus ſuſcipit putrefactionem ſuperfluitatum.*

Chriſtophorus Hintze Vir quinquaginta octo annorum anno MDCLXVI. die undecimo Septembris in ſuburbio Serveſtano, Ancun/ dicto, palâ ferro in anteriore parte obducta in occipite ictus protinus concidit in terram, perque dimidiam fere horam veluti mortuus jacet.

Sanguine abluto amplum vulnus non tantum capitis integumentum, ſed cranii ipſius apparuit; quid? quod pars hujus integra expreſſæ in tabula figura prima magnitudinis deſideraretur; quam adſtantes monſtrabant, ſimul aſſerentes, eam cum parte panniculi palæ adhæſiſſe.

Cum diligentius porro examinarem occiput, pſæter hoc vulnus ma-

magna fractura ad latus ſiniſtrum per ſuturam lamdoideam deorſum, per angulum vero oſſis parietalis usque ad ſuturam ſagittatem ſurſum penetrabat, ita ut cranium latam manum concuſſum & in fruſta quaſi comminutum eſſet: Quorum unum maximumque figuræ ſecundæ magnitudinis die quarto a reliquis oſſis parietalis ſeparatum, poſteroque die octo minuta fruſtula exemi.
Dura mater, quantum quidem obſervare potui, ad ſinum usque falciformem diſrupta erat, magnamque ſanguinis vim prima & ſequentibus aliquot obligationibus pulſatione cerebri effundebat.
Et quanquam in ſextum usque diem vulneratus ſine ſenſu, voce & auditu procumbens omnem de ſanitate recuperanda ſpem nobis adimere videretur: Nihil tamen eorum omiſimus, quæ prodeſſe ullo modo poſſent. Augebatur etiam ſpes, cum ſenſus redirent, & e ſomno profundiſſimo quaſi excitaretur patiens.
Primis octo diebus ſanguis purus vel cum aliis mixtus in ſatis magna quantitate profluebat; poſtea vero ſpatio XIV. dierum cum pure tenui particulæ cerebri magnitudine ſeminum cannabis, vel piſorum minorum excernebantur.
Tempore curationis reliquo præter multa cranii fruſtula, quinque figura quinta expreſſa tam ſuperioris quam inferioris cranii laminæ ſeparata ſunt. Die autem decimo ſexto duo fruſta magnitudinis in figura tertia & quarta exhibitæ a fungoſa ſubſtantia, quæ copioſe ſuccreſcebat, propulſa exemi. Cumque ſumma cura tractaretur vulnus, patiens aſſiſtente divina gratia poſt tredecim ſeptimanas integræ ſanitati reſtitutus eſt; poſtea per decem amplius annos incolumis vixit.
Obſervavi cerebrum decreſcente Luna tam exiguum fuiſſe, ut digitum minimum inter cranium duramque matrem commode immittere potuerim.
Similem tamque felicem ſortiebatur exitum fractura oſſis bregmatis in puero XIV. annorum Hagæ Comitis anno MDCXL. Hic a muro decidens ad terram tam vehementer alliſerat caput, ut

calvaria late frangeretur. Curam ejus cum Cl. D. Rumpſio habentes aliquot cranii fruſta, interque ea duo mediocris monetæ, (eines halben Ortsthalers) magnitudinis exeminus. Procubuit quidem etiam per aliquot dies voce & auditu orbus, tandem tamen cum ſanitate rediit in gratiam.

Scio equidem, Fernelio, Veslingio, Riolano, Bartholino, &c. a Cl: Diemerbrœkio *Anat. L.* III. *cap. V. p. m.* 341. circa cerebri diverſam quantitatem pro Lunæ decremento vel incremento motam eſſe controverſiam, imo eorum aſſertionem de obſervata hac diverſa magnitudine cerebri rejectam & refutatam eſſe. Nolui tamen hanc b. Parentis obſervationis articulum omittere, ne ei aliquid detraxiſſe videar. Neque autem video, qua ratione eaque ſatis certa, uno exemplo aliquot virorum fide dignorum teſtimonia eludi queant? Fateor ipſemet, rem eſſe, quæ obſcuram habet rationem, & præſtare fortaſſis ἐπέχειν: Niſi ad ætherem ſubtilem a Luna tunc temporis tanta vi non preſſum & agitatum, adeoque minus expanſum in vaſis ſanguinem, indeque vaſa aliquantum ſubſidentia recurrere velimus: Ejus enim in corpus noſtrum potentiam omni die experimur ſani & adhuc magis ægrorantes. *vid. van der Bekke Experim. circ. nat. rer. princ. L.* II. *p.* 228. *it. Clar. Dekkers Exerc. Pract. circ. meth. med. cap.* II. *p.* 56. 70. *& cap.* VII. *p.* 502. & 506. *& inferius obſervatio L.* II.

OBS. XI.

SUDOR CRANII SANGUINEUS.

OMnia perſpirabilia eſſe in corpore humano apprime jamdum ſcivit magnus Hippocrates; & magnum in tranſpiratione rite procedente ſanitatis momentum ſitum eſſe toto die experimur. In eum finem ſapientiſſima Natura omnes partes corporis humani tali fibrarum ſtructura & ordine beavit, ut per hanc quaſi telam artificioſiſſimam oſcula vaſorum protenſa

ſa liberrimum effluviis concedant exitum. Si modeſte agitantur humores tam inſenſibiliter hæc aufugiunt, ut nulla oculorum acies iis obſervandis apta ſit: Illud tamen, quod oculis luſtrare non licet, ad ſtateram revocare auſa eſt & exegit etiam laudatiſſima Sanctorii ſedulitas. Quando vero concitatius moventur humores, pars aquoſa aliis partibus facta in arteriarum angulis a conſortio reliquarum abiens, tam promte ab venarum non poteſt abſorberi oſculis, hincque in ſenſibili quantitate ſub ſudoris nomine in externam cutis ſuperficiem expellitur. Si contingat, ex intenſiori adhuc motu partium, ut dilatentur pori nimium, aut plane rumpantur vaſcula, ſudorem rubrum aut ſanguinem ipſum interdum plorant. Ante aliquot menſes ſartor hujus loci ſcorbuto calido, & hinc ſæpius lippitudine laborans cephalalgia vexatur; hinc Rob ſambuci cum pulvere cardui benedicti herbæ veſperi devorat ad ſudandum; In ſomnum prolabitur, & vehementiſſime ſudat. Dum ſurgit, videt induſium, & integumenta lecti rubro colore ſatis intenſo infecta. Hæc autem non tantum in cute membraniſque obſervantur, ſed ipſis etiam ſolidiſſimis in oſſibus, ut ſanguinem ubique latere manifeſto appareat.

Anno MDCLXXIII. Die decimo quinto Julii Petro Arnd/ Viro triginta quatuor annorum, ligno, quo currus firmantur, (einer Wagen Runge) graviſſime percutitur caput; unde apoplexia ſuperveniente poſt duodecim horas moritur.

Cum interiora cranii (quod fiſſum erat) cum Ampliſſ. D. Röslero luſtraturi panniculum carnoſum cum pericranio ſeparaſſemus, raro ſpectaculo ſanguinem per cranii poros tam confertim prorumpere obſervabamus, ac ſudor per cutem emanere ſolet. Intra cranium etiam magna ſanguinis copia ſtagnabat, cujus præter propter libra cum ſerra divideretur illud penetrabat, & V. Unciæ cerebro adhuc incumbebant.

Idem fere obſervavimus anno MDCLXXX. d. ſecundo Aug: in lanione cujus ſupra Obſ. IX. mentionem fecimus: Tota ſcilicet ſutura coronalis in latere dextro ſanguinem ſudabat.

Sana

Sana evincit ratio, quæcunque in corpore nutriuntur & augentur arteriis veniſque prædita eſſe debere: Ut mirer, quomodo Platero & hinc J. Riolano in mentem venire potuerit arterias oſſibus denegare, *vid. Antropogr. L. V. c. 50. p. 557. ſq.* Nec eſt, quod duritiem obtendat aliquis, cum res ſit confecta, oſſa in initio fibroſa eſſe & mollia, atque adeo non tantum tranſitum vaſorum, ſed & varias impresſiones externas, uti in lamina cranii interiori &c. videre eſt, facile ſuſtinere: Quam diſpoſitionem, licet indureſcant oſſa, conſtantisſimam ſervat divina benignitas. Quod ipſæ non minus arteriæ in oſſibus conſpectæ, vid. *Diemerbroek Anat.* L. IX. c. I. p. 518. quam morbi vitiaque oſſium confirmant. Recordor mollitiei oſſium ſingularis ante aliquot annos Trajecti ad Rhenum in ædibus Nobil. D. Leusdenii in homine triginta aliquot, ut videbatur, annorum a me obſervatæ. Hic poſtquam diu cum morbo & paralyſi conflictatus fuiſſet in Noſocomio, diem obibat ſupremum. Ob magnitudinem nervoſo ſyſtemati conſtruendo corpus judicabatur idoneum. Inciſione colli auſpicabamur opus; cum vero ad ſupremam pulmonum regionem ventum eſſet, inſignis puris copia proprio folliculo contenta totum fruſtrabatur opus. Non enim hoc ſpatio tantum coercebatur virus ſed per univerſum corpus diffuſum erat. Coſtæ in confinio ſitæ ab acido morboſo fragiles admodum factæ occaſionem ſuppeditabant amplius perſcrutandi oſſa. Cum carnem ſeparaſſemus. apparuit eadem in locis ubi alias duriſſima ſunt, ita emollita eſſe, ut facillimo negotio tanquam fungi comprimi potuerint, & partes ab ſeſe invicem diſcederent; Mirum omnibus videbatur, quomodo defunctus in vita conſiſtere potuerit. Præterea teſtes ita flaccidi erant, ut ductuli, non aliter ac in gliribus, levi negotio & concusſione adhibita reſolverentur, & faſciculum talem ſeparati laxeque cohærentes in aqua clarius luſtrandum oculis conſtituerent, qualem figura in tabula exprimit. Reliqua quæ notabantur in hoc cadavere erant hæc: Toti Oſſi ſterno firmisſime adnata erat pleura,

&

duæ coſtæ in unum coibant finem. Vena Azygos ſive ſine pari alias ſimplex, in hoc ſubjecto duplex conſpiciebatur. Hæc autem oſſearum fibrarum eroſio & debilitas an aliunde quam a partibus acribus cum ſanguine ſimul in ſubſtantiam illarum illatis derivanda venit? Quid ſpina ventoſa aliud teſtatur quam ſanguinis ductus ſubintrare oſſium ſubſtantiam? Ut is, qui nunc oſſibus ſanguinem negaturus ſit, in pleniſſima videatur cæcutire luce.

OBS. XII.

MAJOR OSSIS FRONTIS PARS ABLATA, ET IN EJUS LOCUM SUCCRESCENS CALLUS.

Superius adducta clarius probat callorum generatio, (quibus mediantibus oſſium fit coalitus) qui ſucceſſu temporis in oſſeam duriſſimamque migrant ſubſtantiam. In iis ſcilicet producendis nihil aliud agit Natura, ſeu perpetuus humorum motus, quam ut fibras continuo appulſu liquidi elonget; donec cum parte adverſa conjunctæ continuum ſolidum rurſus conſtituant: In quo quidem negotio arcana accretionis & oſſificationis omnium oculis ſine velo & apertiſſime ſubjiciuntur; atque in fidem majorem fibræ plane oſſeæ diverſimode protenſæ in cavitatibus oſſium majorum, præcipue autem circa extremitates relinquuntur. Oſſa etiam cranii ſtriatim accreſcere inſtar glaciei viſitur in elegantiſſimo Muſeo Ruyſchiano vid. *Theſ. Anat. Tom. I. p.* 6.

Succreſcuut vero citius vel tardius calli, quo major vel minor eſt in corpore liquidorum quantitas, & melior vel pejor conſtitutio; uti in primæ, mediæ, & ſummæ ætatis hominibus toto die experimur. Auriga LXXX annorum, cui plauſtrum tibiam & fibulam ſiniſtram fregerat nullo modo potuit reſtitui, & poſt ſemeſtre fere mortuus tandem eſt; uti refert Celeb. *Amman. Conſil. de Inſt. Med. L. V. P. II. S. I. c.* 1. *p.* 354.

Fibras vero iſtas callorũ & poſtea oſſium arctius ſibi in- & accum-

bere, & liquida in eis non tam mobilium, ac in reliquis vaſis eſ-ſe partium, ſoliditas & reſiſtentia, duritiesque teſtari poſſunt; Atque hinc pauciſſimum ad oſſium nutritionem a præterlabentibus ſuccis deponi, illudque tardius aliquanto ratione ſolidi propelli tantum neceſſe eſſe arbitror. Nec improbabilis eſt Cl. *Williſii* ſententia Libro *de Cerebr. Anat. c. VI. p. m. 21.* Cranii, (& ita etiam aliarum partium) duritiem oſſeam ſimul dependere a ſalibus cum ſanguine eo delatis. Cum Chymia non refragetur. Concluſio vero, quam inde nectit *Fracaſſatus de cerebr. p. m.* 140. an legitima ſit, alii judicent. Videmus callum manuum a diductis, elongatis, & interdum dilaceratis ductibus cuticulæ ab inſueto magnoque labore, præprimis in tenerioribus, naſci, & tandem omnem fere ſenſum iſtis manus partibus detrahere, multiplicatione ſtratorum papillas nervorum obducendo Manifeſtum etiam eſt, partem cerebri candidam duriorem eſſe reliqua, ideoque corpus calloſum vocari, quod ut verbis utar *Cl. Taury Anat. Part.* II. *c.* III. *p. m.* 262. proprie loquendo nihil aliud ſit, quam ſubſtantiæ medullaris collectio & fibrarum ejus ad invicem arctior appropinquatio. Nonne autem nervi nova hac calli accretione oſſibus vindicari poſſunt, quos Medicorum aliqui fulcris humani corporis denegarunt? Teſtatur ſane Chirurgia, callum legitimum vel luxuriantem ex attactu duriore dolere; Qui ſi non ſufficienter faſciis conſtringatur, vel ob ſitus inconvenientiam conſtringi posſit, difformis evadit, cujus exemplum, ſervati tamen per eum hominis, ſequens præbet hiſtoria.

Anno MDCXXXVIII. Vilnæ, urbe primaria Lithuaniæ, Studioſus per plateas noctu divagans cũ alio ſibi occurrente primũ jurgia mox ſanguinolentas ſuſcipit rixas, cum maximo propriæ ſanitatis detrimento. Adverſarius enim acinace fortiter adacto frontem ejus ductu obliquo ſupra oculos facto, ita, ut alter oculus graviter ſimul afficeretur, lædit. Mox novo & repetito ictu deorſũ facto frontem rurſus, recensque vulnus per transverſum cæſim petit, ut ſi-

mul

mul temporum regio unius lateris aliquantum, canthusque oculi ſani percuteretur. Hoc autem vulnus non tantum cutem externam, ſed etiam os frontis usque ad cerebri membranas penetraverat, idque a reliquo oſſe ſeparaverat, ita quidem, ut in naſum propenderet cum parte quadam cutis adhuc connexum. Dolores erant atrocisſimi atque gravisſimi: Utut enim ſeparatum os ſuo rurſus inſereretur loco, & linteis complicatis calidis, aliisque medicamentis defenſivis dictis muniretur & decenter deligaretur; dolor tamen prope vulneratum præcipue oculum una cum inflammatione ob dilacerationem & contuſionem pericranii partiumque circumjacentium in tantum accrevit, ut præſentia metuque majorum ſymptomatum coacti fuerimus dictum os cum cute adhuc connexum per ſectionem auferre. Conſpiciendæ erant cerebri membranæ in ſingulare ægri commodum illæſæ. Fomenta poſtmodum cum aliis remediis diligenter fuerunt adhibita, quibus tandem effectum eſt, ut callus quidam mollior, licet difformis ſenſim recreſceret, & cute tegeretur. Tandem convaluit ſtudioſus alterius tamen oculi lumen amiſit.

OBS. XIII.

SALUTARIS ERRHINI USUS.

ANno MDCXL. Juvenis in ſylva prope Hagam Comitum (int vorhout) cum alio agilitate in agitando equo certans, caput nimiũ ad latus declinat, & tanta vehementia arbori allidit frontem, ut ingentem ſonum diffractum os ediderit, quem admodum ipſe, & qui cum eo fuerat, teſtabatur. Advocati cum D. Rumpfio, Medico practico ejus loci percelebri fracturam oſſis usque ad oculum extenſam diſtincte ſatis tactu explorare poteramus.

Diſſectionem cutis disſuadebat Medicus; fovebatur autem ſtatim caput vino calido, cui flores roſarum, chamomillæ melilo-

ti, betonicæ etſ. incocti erant. Poſtea rubrum quoddam balſamum a Doctore Rumpſio ordinatum fronti inungebatur, & emplaſtrum ex partibus æqualibus catagmatici & de betonica conflatum, linteaque duplicata deſuper imponebantur. Optime autem profuit aqua, quam naribus attrahere jubebatur ægrotus: Ex uſu enim ejus continuo multum tenuioris pituitæ ex naribus profluxit; quæ, uti laudatus Medicus explicabat, in pus mutari, multaque incommoda excitare potuiſſet. Hac methodo priſtinam recuperavit ſanitatem juvenis, ut neque cutis incideretur neque alia auxilia in ſimilibus caſibus ex uſu venientia adhiberentur.

Errhinorum uſum & noxam, indicantia & contraindicantia late deduxit Experientiſſimus *Fr. Dekkers in Exercit. Pract. circa med. meth. cap.* I. Dicebantur ea ſuperiorum ſeculorum Medicis non tantum nares, ſed ipſum etiam cerebrum & meninges per os cribriforme vel alias vias purgare, & humores noxios evacuare, unde & caput purgia vocabantur: vid. *Laurent. Oper. L.* XI. *c.* XV. *p.* 583. *Fernel. Phyſiol. L.* I. *c.* IX. *p.* 21. *& Dunc. Liddelius Art. Med. L. V. c.* VII. *p.* 698.

Poſtquam vero poſt Galenum Excellentiſſimus Schneiderus hanc ſententiam nullo fundamento niti, & omne quicquid per nares effluit, non ex cerebro, ſed ex membrana pituitaria, ejusque partibus provenire, diffuſæ eruditionis ſcriptis publice demonſtravit, tot ea amplius non invenit propugnatores. Totum negotium plenisſime poſtea confecit Celeberrimorum Anatomicorum par: Williſius *Libr. de Cerebr. Anat. cap.* XII. *p. m.* 40. & adhuc melius Vieuſſens *Nevrograph.* L. I. *c.* XVI. *p.* 199. 200. *ſqq.* ita ut ex Recentioribus Diemerbroek *c. l.* L. III. *c.* XIX. *p.* 420. cum aliquibus aliis locum non inveniat, quando antiquorum veſtigiis hac in parte inſiſtit.

Williſius quidem cit. loc p. 41. & cap. XXI. p. 74. per nervos olfactorios, proceſſus mammillares vulgo appellatos, eorumque fibras oſſis colatorii foraminibus impactas ſeroſitates ex cerebro

in

in nares deponi contendit, hancque ſuam opinionem exemplo cephalalgia & apoplexia correptorum confirmat. At enim vero non firmo ſatis ea nititur talo. Negatur enim, hos nervos in hominibus, ita, ut Cl. Autor vult, eſſe pervios, tubulique in modum efformatos: Per fibras vero cerebri ſuperfluorum excretio adhuc obſcurior ipſi Williſio eſt, & revera nulla. Quod vero ſimilis latex in virginis Apoplexia ex immani cephalæa peremtæ anfractibus cranii internis & externis repertus fuerit, nullum ſententiæ ejus parit patrocinium. Fortis & a ſero in ſuo motu & mixtura vitiato exoriens, communisque cauſa fuit, ideoque communis idemque effectus ſequi facile potuit, imo debuit: Inde tamen non conficitur, vias eſſe patulas a cerebo ad nares. Accuratiſſimus autem Anatomicus Vieuſſens c. l. p. 190. ſæpius obſervavit in cadaveribus nihil ſimilis materiæ, quæ per nares & os profluxit, in calvaria, ſed ſemper in membrana pituitaria ſinubusque tantum reperiri.

Alia ratione Doctiſſimus Verheyen *Anat. Tr. IV. c. VII. p. 174. ſq.* poſſibilem humoris ad os vel nares tranſitum reddere conatur: Argumento ſcilicet deſumto a communi glandularum uſu, qui ſit ſegregare ſpecialem quendam liquorem; Quæ ſegregatio fruſtranea foret, ſi pars illa cum reliquo humore, a quo ſeparata eſt, ſtatim ſanguini de novo affundatur: Quare vero ſimilius judicat, dictum humorem beneficio glandulæ pituitariæ ſeparari in duas partes, earumque alteram in venas jujulares, alteram ad os vel nares transmitti, non quidem per foramia ſellæ equinæ inſculpta, ſed parvos tubulos excretorios, qui inter vaſa ſanguinea pituitariæ glandulæ adjacentia abſcedere, & foramina, per quæ arteriæ carotides ad cerebrum adſcendunt, vel nervi egrediuntur, trajicere posſint. Pace autem Viri Clariſſimi meas de hac hypotheſi dubitandi rationes proferre liceat. Et primo quidem, ductus hi nondum demonſtrati ſunt, ſed ſupponuntur tantum, oculi autem in his rebus credunt tantum quod vident, & ex datis couclusionem nectunt. Deinde

non omnium præciſe glandularum munus eſt ſegregare ſpecialem quendam liquorem, uti ex Phyſiologicis conſtat, & amplius oſtendit dexterrimus quondam Anatomicus Nuck *Adenograph. Cur. cap. III. p.* 46. Quid? quod dilig. *Vieuſſ. c. l. c. VII. p.* 97. interiorem glandulæ pituitariæ partem a colore liquoris injecti non tingi, ſed tantum ſupernam & lateralem, facto experimento demonſtret. Imo humor depluens jam ſit lymphaticus, per infundibulum tanquam majus vas lymphaticum ad hanc glandulam delactum. c. l. p. 99. Sique talem ſecernat hæc glandula, non tamen certum eſt eum ſanguini ſtatim reaffundi: Non caret enim cerebrum vaſis lymphaticis, quæ etſi laudato Vieuſſ. (*vid. Nevrograph. L. I. c. VI. p.* 86.) & partim beato Nuckio (*vid. c. l. epiſt. anat. p.* 150.) dubia aut obſcura fuerint, eruditiſſimo tamen Bohnio, referente doctiſſimo Ortlobio *Hiſtor. part. Diſſ.* XXI. §. 13. viſa ſunt. Aut etiam ſi brevi rurſus affunderetur ſanguini liquor ſeparatus, alia poteſt ratio obtinere in cerebro, aliæque adeſſe circumſtantiæ, quam in aliis partibus, in quo delicatiſſima totius corporis ſubſtantia, ſuccus nempe nervoſus ſecernitur & ſecretus eſt. Nullum itaque paradoxum eſt, ſi humor per infundibulum defluens ſanguini brevi rurſus affundatur, prius vero in glandula pituitaria ſecundum omnes partes conquaſſetur quaſi, & minutior adque miſcendum aptior reddatur.

Sed unde tandem proficuus Errhinorum in multis affectibus uſus, ſi nihil de Cerebro deſcendit, derivandus venit? Reſpondeo, illa in plerisque nihil aliud facere quam ut nervos vellicent, ſolidumque & fluidum in motum rurſus concitent, ut in Apoplexia, Caro etſ. affectibns contingit. Deinde gravedo & Catarrhi non in Cerebro, ſed in tunica pituitaria ejusque productionibus plerumque ſedem figunt; eſt enim teſte Anatomia & Cl. Vieuſſ. c. l. p. 187. fungoſa, ſpongioſa & glanduloſa pars, quam adhibita errhina immediate attingunt. Cæterum uſum etiam egregium habent in quibusdam interioris capitis affectibus. Conſtat ex laud.

Vi-

Vieuſſ. c. l. p. 188. hanc tunicam numeroſisſimis vaſis ſanguiferis intertextam eſſe, unde occaſione errhinorum maſſa ſanguinea magna viſcidorum humorum vi liberatur, & nova ſeroſitatis materia cerebro hac methodo utiliſſime ſubtrahitur. Deinde non inconveniens eſt ſtatuere, partes quasdam errhinorum arteriarum tunicas penetrare, et ſanguini commixtas ad cerebrum devehi. Ubi ratione activitatis ſuæ humores craſſiuſculos attenuare, & lentos ad motum fortiorem incitare poſſunt. Quemadmodum videmus aquas confortantes dictas, emplaſtra, ſacculosque ad pulſus non tantum viribus labentibus aut lapſis ſubvenire, ſed etiam, ut obſervatione conſtat, ipſas fugare febres. Si præterea contingat, ſanguinem in vaſculis minoribus ob contuſionem aliasque cauſas ſtagnare, non minus proficua Errhinorum cum judicio & in tempore adhibitorum opera futura eſt. Diſcesſio enim ſtagnantium humorum, inque priſtinum motum actio, uti in hoc caſu, ita in aliis ſimilibus primarius medicamentorum finis exiſtit.

OBS. XIV.

INGENS HYDROCEPHALUS.

Nullam itaque materiam ſeroſam ex cerebro ad fauces vel nares defluere, juxta ea quæ in Anatomicis hactenus detecta ſunt, merito concludimus: Et amplius experientia ab hydrocephalo laborantibus deſumta confirmamus. Si enim quædam daretur communicatio, hic morbus neceſſario eam patefaceret; cum non ſemper inter cutem & pericranium, vel hoc & cranium, ſed ſæpius in Ventriculis & eo quod ipſi cerebro circum fuſum eſt, ſpatio hic aquoſus latex contineatur.

Anno MDCLII. die decimo tertio Novembris conſilio Excellentisſimi Schneideri, in ejusque præſentia aperui Hydrocephalum infantis quatuor fere annorum: Caput erat ingentis magnitudinis, ita quidem, ut ambitu ſuo vix ſex ulnæ noſtræ quadrantibus

tibus cum dimidio caperetur; Et cutis tam diſtenſa, ut, quemadmodum Parentes referebant, per annum & amplius apertis oculis dormire debuerit puella. Prima mali fundamenta jacta ſunt, cum tenella cunis elaberetur, & caput læderet; eam læſionem parentes, quod exterius non tam gravis videretur, tanti non fore momenti crediderunt. Ex eo autem tempore caput intumuit, & continuo ſumſit incrementa. Præterea ante octodecim menſes tumor quidam aquoſus in ſiniſtro latere apparuit, qui de die in diem etiam auctus ita tandem increvit, ut partem regionis ſincipitis & temporum obtegeret. Inſtar veſicæ inflatæ erat, & totus pellucidus. Hunc, inquam, tumorem ſcalpello aperuimus, prima vice VI circiter uncias aquæ pellucidæ & claræ emittentes, ſecundo, tertio & quarto die tantundem; profluxit tamen præterea aliquid ejusdem quaſi continuo, cum vulnus tam accurate claudi non potuerit. Tumore hoc veſiculari ea ratione collapſo, non obſcure videre erat, cranium lapſu ex cunis diffractum fuiſſe; fragmenta enim ejus ab interna aquarum collectarum mole protruſa ſurrexerant, & diverſa altitudine prominebant, quibus ſaccus veluti depletus marcida cutis inhærebat. Quinto tandem poſt apertionem die moriebatur ægrotans.

Manifeſtius vero tunc apparuit fractura cum dicta prominentia circa ſuturam ſquamoſam, cum caput aperiremus. Foramen erat rotundum tantæque capacitatis, ut pollicem admitteret: Per illud magna aquæ albidæ quantitas, cui capiendæ congius vix ſufficeret, effluebat. Ea evacuata ne quartam quidem cranii partem cerebro repletam eſſe conſpiciebamus. Omnis aqua ſub meningibus ſtagnaverat, duraque mater propter vehementem extenſionem cranio (quod ob eandem cauſam iis etiam in locis quibus craſſiſſimum eſſe conſvevit vix dorſum cultri æquabat craſſitie) undique veluti adnata adhærebat: Præprimis autem notabile erat, eam, ubi cranium thaleri magnitudine in confiniis ſuturæ ſagittalis & coronalis hiabat, cum pericranio tam firmiter conjunctam

fuiſ-

fuiſſe, ut impenſa licet opera, vix tamen ſeparari ab ſeſe invicem potuerint. Subſtantia cerebri mucoſa & dubiæ ſoliditatis ad minimum contactum collabaſcebat. Qvantum vero animadverti poterat, ventriculi anteriores in immenſum diſtenti fuerant. Rete mirabile non inveniebatur. Nervi optici putredine corrupti, & arteriæ ad oculos abeuntes tam accurate a cerebro ſeparatæ erant & vacuæ, ut accuratiſſimo labore melius forſan illud perfici nequiverit. In cerebello magna puris flaveſcentis vis diſtributa quaſi latebat. Tandem poſtquam puris & aquæ evacuatæ & ſtagnantis rationem ſubduximus, duos congios in hoc corpuſculi capite concluſos fuiſſe didicimus. Ad ſummam, omnia tam corrupta, tamque a naturali ſtatu remota erant, ut quisque noſtrum in admirationem raperetur, quomodo anima in miſerrimo hoc domicilio tam diu manere potuerit.

Ex his notamus, Curationem Hydrocephali nunquam apertione auſpicandam, aut hanc adminiſtrandam eſſe, quando aqua ſub cranio colligitur & ſtagnat, quia partes labem facile contrahunt, & aquæ evacuari commode nequeunt. Et licet in præſenti caſu cerebrum non tam graviter corruptum fuiſſet, impoſſibile tamen fuiſſet, aquis etiam evacuatis cranium ope faſciarum in ſuam naturalem redigere magnitudinem, quoniam ſuturæ, ut ſcriptores Medici in aliquibus obſervarunt, hic non diſceſſerant a ſeſe invicem, ſed firmiter ſerratis veluti dentibus cohærebant. Cranium e contrario totum in tantam amplitudinem excreverat, ut hinc neminem cauſa tenuitatis ejus lateret.

Meretur attentionem, puellam hanc per annum & amplius apertis oculis dormire debuiſſe, & potuiſſe. Objecta enim, ut proverbium ſonat, movent ſenſus, quibus ſi non conceditur quies, quomodo ſomnus obrepat? Quomodo reficiantur vires per diem exhauſtæ? In eum finem a benigniſſimo Creatore palpebræ datæ ſunt, ut oculos ab externis injuriis tueri, & tempore ſomni lumen arcere poſſint. Ita quidem eſt, miſere agitur vita. Mille injuriis oculi

 Quos

Quos quaſi cuſtodes, defenſoresque pericli,
Proſpiciens ſumma natura in arce locavit (Juxta Serenum)

omni momento fere expoſiti ſunt. Nec tamen omnis ſomni & vigiliarum viciſſitudo ideo omnino deſinit; quanquam in initio difficilius obrepat membris feſſis ſomnus. Palpebrarum enim collapſus non efficit proprie ſomnum, ſed occaſio eſt, interdum autem & primario conſequens minoris ſpirituum influxus, & remiſſioris nervorum tenſionis. Si itaque laſſitudo adeſt, & objecta externa per velamina commoda removentur, in ſomnum oculis etiam apertis prolabetur homo. Quo non parum faciet miſeræ vitæ conſuetudo. Experimur ſanos homines ſemi clauſis dormire oculis, hancque conſuetudinem per hæreditatem quaſi derivari in liberos. Deinde quosdam ex variis cauſis, quas Germaniæ Decus Dan. Sennertus *Oper. Tom. I. P.* III. *L. I. S.* II. *c.* 2. recenſet, inverſionem palpebræ ſuperioris vel brevitatem, quam λαγώφθαλμον vocant incurrere, atque ideo continuo apertos habere oculos; & Excellentisſimus Dolæus *Encyclop. Chirurg. Rat. L.* I. *c.* VII. *p.* 111. de lanione refert exemplum, qui ob palpebram puſtula exeſam, & hinc breviorem factam oculo aperto dormire neceſſe habeat. Eandem moleſtiam Inviſcatio palpebræ, Græcis Ancyloblephoron, Arabibus Aſſeſtra dicta inferre poteſt quæ Alexandro Alexio in Cratyl. Morb. L. I. cap. IV. dicitur contractio palpebræ, per quam palpebra ſuperior non operit album. Celebris eſt memoria M. Atilii Reguli fide, tempore belli Punici primi, conſtantisſimi, quam Carthaginenſes palpebris reſectis illigatum in machina, in qua undiq; præacuti ſtimuli eminebant, vigilantia & continuo tractu doloris necarunt, teſtibus Cicerone & Valerio Maximo. Arbitrantur quidam, præſectas palpebras mortis cauſam exſtitiſſe: Quatenus oculi claudi non potuerint, & hinc omnis ſomnus neceſſario exulaverit. Non equidem negaverim, amputationem ipſam varia concitare poſſe pericula: Quod vero ob continuo apertos oculos mortuus ſit Regulus de eo, quod pa-

ceæ'iorum fiat, vehementer dubito. Angor potius animi, ineffabilis moleſtia, perpetuus dolor, & inde oriundum pervigilium, imo & ſanguinis profuſio, ita vires ſpiritusque viri ad ſuperſtitionem ingenui attriverunt, ut commercio inter corpus mentemque conſervando non amplius pares, tandem exhauſti fuerint. Elegantisſime ad rem L. Annæus Seneca Libro de Provident. cap. III. p. m. 12. *Veniamus*, inquit, *ad Regulum, quid illi fortuna nocuit? quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit. Figunt cutem clavi, & quocunque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina.* Apertum enim eſt tormenti genus conſiderantibus, in perpetuam vigiliam ſuſpenſa eſſe debuiſſe lumina, licet palpebræ non præſectæ fuerint, omnisque oculis conſtitiſſet integritas.

OBS. XV.

JACTURA OCULI, ET TANDEM MORS, EX PULVERE PYRIO TABACO ADMIXTO.

ANno MDCLIII. Menſe Januario meam opem implorabat ſummæ caveæ Vir, urbis Barby incola, difformem maxime circumferens oculum; qualem reddiderat malitia ſcribæ provincialis. Hic enim, cum pulverem pyrium clam miſcuiſſet tabaco, & fiſtulæ breviori indidiſſet, eam ad fumandum miſero huic porrigit; ille omnium, quæ facta erant, ignarus, fiſtulam ori admovet, ſtatim vero ac pulvis pyrius concepit ignem, impetu conſueto disjectus una cum tabaco incenſo alterum invaſit oculum; Ingens protinus exoritur dolor, quem tumor & inflammatio, ceu indivulſi comites preſſo pede ſequuntur. Inde miſerrimus homo lamentari, & nequitiam queri; ſcriba vero, videns in quæ pericula præcipitaverit hominem, animo angi, varia interim remedia domeſtica præbere, alii etiam, ut fit, conſilia ſuppeditare & opem remediis ferre: Hiſce tamen oculus jam

tum graviter læſus, pejor factus eſt. Quid quæris? Caro luxurians pullulare cœpit ex tunica oculi adnata vel conjunctiva dicta, quæ tanta indies ſumſit incrementa, ut cum me conſultum veniret, caro illa in modum farciminis protuberans quatuor transverſos digitos craſſa, & duos longa exiſteret, & palpebras vehementer diſtenderet. At enim vero lenem Medicinam, poſtquam omnia accurate penſitavi & conſideravi hic non proficere perſpiciens, totum oculum ex orbita exſcindendum eſſe dicebam. Quod remedium cum horreret patiens, triſtis abiit.
Sanitatis tamen cupidus apud D. Doct. Brandtium Practicum Bernburgenſem auxilium quærit, qui poſt varia incaſſum adhibita, idem ac ego dedit conſilium: Obſequens fit æger. Ipſe igitur Medicus oculum exſcindit. Inde vero tantus exortus eſt dolor, ut æger eo ferendo impar vitam cum morte commutaverit. Non ſcilicet tam feliciter huic ceſſit excîſio, ac Guilhelmo Fabricio Hildano, de qua *Centuria I. Obſ. I.* agitur. Ego vero lætabar, me ægrotum hunc non attigiſſe.

Divinum ſane organon eſt oculus, loquor verbis eruditi Joannis Heurnii Medici commendatiſſimi, Libr. de Morb. Ocul. cap. I. p. 6. *quo & terram & cœlum ipſum metimur. Quare non fruſtra dubites: Sit ne caput potius propter oculos factum, an propter cerebrum.* In nullo ſcilicet membro humani corporis invenias facile tantum partium & variarum & maxime ſenſibilium apparatum, quam quidem in oculo. Præter tres humores, tunicas Anatomici hactenus recenſuerunt ſeptem, quibus nuper modo oculatiſſimus Fredericus Ruyſch octavam addidit in *Epiſt. Anatom. problem.* XIII. deſcriptam, omnes tam nervis quam vaſis ſangvineis abundantiſſimas. In quibus humorum circularem motum publice demonſtravit, & ſolenni diſſertatione deſcripſit Clariſſimus Jacobus Hovius. vid. *Act. Erudit. publ. Lipſ.* MDCCIII. *Menſ. Maji p. 222. ſqq.* Nec muſculorum variorum, ductuumque & glandularum paucus eſt numerus. Quo delicatius autem aliquid eſt,

eo

eo facilior ex leviſſimis etiam eſt læſio. Hinc pulviſculus qui aliarum partium ſenſum ſubterfugit, hic dolorem excitat & rodit, ut ſangvis veluti omnis, contra hunc hoſtem inſurgat, & ad oculos ruat. Aer fulgure & fulmine veſpera quadam commotus infeſtiſſimus ante aliquot annos fuit ſolis oculis vel mille hominum Lugduni Batavorum & circum, qui ea tempeſtate in aere liberiore fuerant & extra domos, ut omnes fere ophthalmia corriperentur; quemadmodum Excellentiſſimus Dekkers in collegio caſuali nobis tum retulit. Quas itaque moleſtias pulvis pyrius non creet, Nitro, Sulphure & carbonibus conſtans, rebus maxime combuſtibilibus, & ſtupendæ efficaciæ; Item igneæ tabaci partes, expanſionem omni modo molientes. Quæ ſi irruant in tunicam adnatam vaſis ſanguineis refertiſſimam acie compungunt eam, motuque exploſivo dilacerant. Tota itaque invertitur textura & depravatur. Cui vitio ſi non ſtatim eatur obviam, ſerpit primum, mox vires acquirit eundo, & immedicabilis fit cancroſus ficus, ſeu oculorum cancer: Qui rariſſime medicamentis, interdum agili & exercitata Chirurgi manu tollitur. Cæterum præſens caſus aliquod patrocinium præbere poſſet hypotheſi Medici Monſpelienſis Deshaies Gendron in libro, Recherches ſur la nature & la Gueriſon des Cancers, inſcripto, defenſæ, veram ſcilicet tumoris cancroſi cauſam eſſe deſtructionem ſucceſſivam roboris canalium, vaſorumque excretoriorum naturalis, quæ (vaſa) ceſſante functione ſua ordinaria in ſubſtantiam illam duram & compactam, quam Cancrum appellamus, abire neceſſe ſit. *vid. Act. Erudit. publ. Lipſ. Menſ. Julii anni MDCCI. p. 304. ſqq.* An vero in partibus ſolidis unica cauſa & natura Cancri ſemper quærenda ſit & annon præterea in fluidis interdum, in ſolidis autem effectus tantum appareat, latius hoc tempore non inquiram.

OBS.

OBS. XVI.

EX HEMICRANIA CÆCITAS ET RUPTURA CORNEÆ.

QUod malum externæ injuriæ brevi tempore inferunt, illud perverſus impeditusque humorum motus interdum, ſed lente efficiunt. Dum nempe copioſiſſimi per membranas oculorum diſperguntur vaſa ſanguinea eaque tenuisſima, facile fit, ut in hiſce anguſtiis peregrina crasſiora hærendo tunicas vaſorum extendant, & tandem presſione durante diſrumpant. Præprimis vero oculi, ob numeroſiſſimos ſanguinis ductus, & nervos cerebro maxime propinquos, & muſculis inſertos, ut alias animi, ita graviorum morborum indices ſunt non contemnendi. Obſervamus, in initio morborum, ubi nondum graviter decumbunt ægri, oculos dolere, & difficulter ad latera moveri, quod acutiſſimorum ſæpiſſime morborum præludium eſt, & morbum non inſuper habendum eſſe monent. Nonne oculi torvi phrenitidem præſentem vel futuram, & perverſi in febre continua mortem ſecundum Hippocr. c. l. aph. 49. in propinquo eſſe indicant? Non tantum autem in principio morborum afficiuntur oculi ſed poſt ægritudines devictas de gravitate morbi teſtantur. Novimus qui poſt graves cephalalgias debiliſſimo ad aliquod tempus vixerunt viſu, pedetentim acutiori rurſus facto. Dolores enim dum caput miſerabiliter torquent, oculi ob viciniam miſeriæ participes redduntur. Si contingat motu vehementiori partes crasſiores humoribus admixtas fibris nerveis impelli, vel eas alia ratione anguſtare, amauroſis adeſt, ſeu immedicabilis ut plurimum cæcitas. Si inter tunicas vero effundatur craſſior humor, & coeat, cataracta oritur, etſ. In confirmationem horum ſequentem b. P. allegamus obſervationem.

Mulier ſeptuaginta & aliquot annorum, die alte Binderinn/ communiter appellata, anno MDCLXXIX. gravi hemicrania decum-

cumbens, diu in Medicina quæſivit auxilium, ſed fruſtra, ita omnem medicamentorum vim reſpuebat malum contumaciſſimum; tandem etiam, ne quid ſævitiæ deſit, in oculum ſiniſtri & affecti lateris virus partem effundit, & mulierem lumine privat. Illa pelliculam tenebras oculo offundere rata, in hoc etiam affectu Medicum conſulit, is baccarum lauri & juniperi minutiſſimum pulverem oculo inflare, palpebræ vero pingvedinem leporinam illinire præcipit. Hæc cum adhiberet remedia, moleſtiſſime inde afficitur, & antiquus dolor novo augetur. Oculus tandem expanſionem ab irruente & ſtagnante ſangvine productam diutius ferre neſciens, crepuit medius, humoribus & multo ſangvine profuſis. Hæc vero ſequenti anno octogeſimo fiebant. Acceſſitus ad inhibendum ſangvinis fluxum, Album ovi cum Alumine conquaſſatum cum pauco boli armen. & aqua roſarum oculo applicui, dimidium caput oleo anodyno inunxi, & unum vel duo cochlearia potionis, quæ conſtabat ex Aquæ citri ex toto, ſcordii, lactucæ, papaveris erratici, part. æqual. uncia media, Tincturæ papaveris rh. drachma una, item roſarum & anodynæ p. æ. ſcrupulo uno, Spiritus Salis guttis duodecim. Confectionis de Hyacintho ſcrupulo uno, & Syrupi rubi id. & papaveris rh. p. æ. drachma una, invicem mixtis, repetitis vicibus haurienda ordinavi. Deinde vero ad dolores oculi magis leniendos infuſum ex ſeminibus cydoniorum, fæni græci & pſyllii cum aqua plantaginis, papaveris, cum pauciori aqua fœniculi & roſarum, in quibus parum croci ſolutum erat, oculo inſtillavi & impoſui. Hiſce quidem aliquantum levata, ſed non liberata eſt dolore mulier: Venam igitur in ſenili corpore aperui in pollice: Profuit; & dolores cum calore magis cedebant. Tandem Sief cum opio in Aqua plantaginis & roſarum diſſolutum adhibui, quod egregie conduxit.

Cum ad oculos, uti diximus, tam multæ inſignesque partes pertineant, pluribus omnino quam aliæ partes afficiuntur incommodis & morbis, quos late recenſet diligentiſſimus Sennertus c. I;

Sect.

Sect. II. Si antiquos conſulamus Scriptores, non tantum in Ægypto, ſed aliis etiam terrarum locis ægritudinum non unus Medicus, ſed ſuus fuit unicuique morbo deſtinatus. vid. Cælius Rhodiginus *Lect. Ant. L. XVIII. c. XXXVII. p.* 722, & ex Herodoto & Galeno latius de his agens ὁ πάνυ Conringius *Introd. in Artem Med. cap. I.* §. 14. Inter eos Medici oculorum curam habentes celebratisſimi ſunt, & frequentisſima apud Scribonium Largum (an Siburium & Largum Deſignatianum viderint alii, confer. Barth. *Adverſ. L.* XL. *c.* IV.) eorum fit mentio. Ocularii Marcello, & aliis Ophthalmici vocantur, item Spectantes, uti vaſtisſimæ eruditionis Vir Nobilisſimus Barthius *l. c.* LXXXVIII. *c. V. p.* 1724. ex Plinio Valeriano deducit.

Quo autem partes ſunt ſubtiliores & delicatæ, eo majori circumſpectione ſuſcipienda eſt eorum Curatio, ne officioſe plus lædamus, quam juvemus. Omnis gravior commotio oculis moleſta eſt & noxia, (de Juſti enim Medici Romani curationis veritate, qui in Hypopyo capitis concusſione pus loco ſuo dimovere ſolitus fuerit ne viſioni obeſſet quemadmodum Galenus & Aetitius a Sennerto l. c. c. XXIV. allegati referunt, ut dicam quod ſentio, vehementer dubito) præprimis ſi humores non ſatis præparati ſint, vel aliquid jam tum vaſis minutisſimis inhæreat non ſatis attenuatum. Quid namque efficias? vel enim *ſangvis*, appoſitisſima verba ſunt Excellentisſimi atque laudatisſimi Bergeri diſſert. de Inflam. §. IIX. *arterias minus pervias peragrare nequit, atque ibi interceptus non cumulatur modo, & majus ibi ſpatium exigit, ſed etiam ad obſtaculum provectus retroire cogitur, atque occurrens ſangvini perpetuo affluenti, inter duos contrarios motus veluti preſſus, utriusque impetu disjicitur quaquaverſum, ac vehementius in tunicas arteriarum impellitur, & cum inſolenti fibrarum diſtractione extrorſum eas urget ac trudit.* Vel partes crasſiores impelluntur ductibus, & æternas Obſtructiones producunt. Recordor, Medicum quendam ſuffuſione incipiente laboranti

pro-

propinaſſe ſudoriferum, cumque is ſudori indormiret, factum eſt, ut evigilans loco ſperatæ lucis, denſiſſimæ noctis uſuram haberet, & plane cæcus aliorum ductu greſſus ſuos poſtea dirigeret. In morbis ſcilicet (præſertim oculorum) nihil eſt, effato Senecæ, magis periculoſum immatura Medicina, &, juxta Livium, Medici plus interdum quiete, quam movendo & agendo perficiunt.

OBS. XVII.

CEPHALÆA CATARRHALIS CUM SYMPTOMATIBUS LONGE GRAVISSIMIS.

IN majus infortunium incidit, anno MDCXLIX. Uxor Civis noſtræ Urbis, quam præter ſurditatem graviſſima affligebat Cephalæa catarrhis ſeu fluxionibus juncta. Ei tollendæ, Clariſſimus Doctor Nathan Vogt, Practicus non infelix, omnem quidem mecum adhibebat diligentiam: Oleum tamen & operam perdidimus, morbo indies, nobis nequicquam renitentibus, multis modis aucto. Siniſtrum capitis latus, & faciei intumeſcebat, neque vero cutis tantum & carnoſæ partes elevabantur, ſed ipſa, quod mireris, oſſa movebantur loco. Palatum procidebat, & viam, qua nutrimenta & medicamenta corpori debebant ingeri, valde anguſtabat. Oculus ejusdem lateris, qui penitus obſcurabatur, magno tumore, ſine ullo tamen rubore prominebat, & de die in diem increſcens pugnæ tandem magnitudinem æquabat. Interim dolores vehementiſſimi perſiſtebant, & non tantum ſomnum, ſed omnem etiam quietem continuo turbabant, unde quicquid virium adhuc ſuperrerat, atterebatur, quibus cum ob palatum, cavitatem oris magis magisque anguſtans, ſuppetiæ eo minus ferri poſſent, ſuccubuit Natura, & mors miſeriarum fecit finem.

Catarrhi tam celebre nomen eſt in Medicina, ut eum inter quatuor morbos cardinales Doctiſſimus Gladbach numeraverit.

Nec injuria forſan. Latisſime enim patet ejus dominium in corporis humani partes, & omnes a ſero ſeu lympha oriundos morbos complectitur. Horum autem agmen cæteris morbis longe majus eſt. Si vero ſpecialius ſumitur Catarrhi nomen, intra caput & pectus terminari conſuevit. Lymphatici humoris lentor primaria ejus cauſa eſt, (cui tamen aliæ partes ſalinæ acres, etſ. admixtæ eſſe poſſunt) & dependens inde partium ſolidarum Atonia. Quam cauſam, utut ſigna & ſymptomata in morbis catarrhalibus indicent & confirment, clariſſime tamen uvula relaxata manifeſtat; ubi fibræ elongatæ tenaciſſimam dimittunt lympham, & frigoris aliqualis in ea parte ſenſationem excitant. Obſervavimus præterea in Rheumatiſmo, (qui ſpecies catarrhi eſt) ſanguinis ex vena ægri eo decumbentis emiſſi compagem tam tenacem, ut ea, cute veluti ſpongioſa & craſſiore, dum refrigeſceret ſanguis, undique obduceretur: Scio equidem omnem ſanguinem ex vena emiſſum & frigefactum cute quadam obduci, ea autem nullo negotio diſſolvitur, quoniam nil aliud eſſe videtur quam pars gelatinoſa ſanguinis: In præſenti autem caſu tenaciſſima erat, & mutuis implicationibus veluti connexa. Æger ſudoribus fere diffluebat, quos non ſolitarie a doloribus vagis & quaſi univerſalibus, ſed & a tono fibrarum depravato ſimul derivabam. Præterea Drelincurt poſt fata etiam celeberrimus, in perſona rheumatiſmo defuncta reperit gelatinam concretam in ſuperficie muſculorum duos vel tres Ducatos denſitate adæquantem, ut refert Clopt. Havers *Oſteol. nov. p.* 266. Si itaque pituita hæc craſſa a ſanguine ſecreta tubulos replet, motumque ſanguinis remoratur, tumor facile exſurgit, & ex vehementi aut aliquanto remisſiori diſtenſione partium dolor, isque vel gravativus ſeu contundens, vel pungens, acutus, lacerans &c. prout major vel minor particularum acutarum aut ſcindentium &c. adeſt quantitas.. Imo ipſa oſſa ſuis turbantur ſedibus, ſi humor mucilaginoſus in glandulis articularibus vel mucilaginoſis a reliquis ſeparatus juxta Clopt. Havers *c. l. p.* 219. *ſeqq.*

vitio-

vitioſe abundet, ligamenta oſſium relaxentur, & cum a majori ſecretorum humorum copia, tum vero a ſitu muſculorum immutato protrudantur. Palati vero ita dicta procidentia quid aliud quam membranæ pituitariæ ſpongioſam eſſe ſtructuram clariſſime confirmat? quæ ſero & humoribus eodem modo p. n. turgeat, ac ſi e propria ſede, juxta experimentum Celeb. Vieuſſ. *c. l. L. I. c. XVI. p.* 187. exemta, & in aquam immiſſa ejus partibus imbuatur.

OBS. XVIII.
MORBI SALUTARES.

Anno MDCLXI. menſe Decembri memet ipſum febris quartana periculoſiſſima invaſit, quæ tribus Excellentisſimis Medicis diligenter operam ſuam conferentibus in alterum tamen annum dirisſimis & multum variantibus ſymptomatibus illuſit. Interdum auditus, interdum viſus, mox motus omnium membrorum, rurſus vox ægerrimum deficiebant. Quoties paroxyſmi ingruebant, & quamdiu durabant, erant autem ſemper XIIX horarum, corpus in tumorem ab incluſo veluti aere cum maxima moleſtia elevabatur. Cumque omnes fere cibos abhorreret ventriculi Archeus, plerisque ſpoliabar viribus. Febri quartanæ ſe aſſociabat alia, typum quotidianæ ſervans, cujus paroxyſmus erat VI horarum. Tandem ſuperveniebat dolor capitis atrocisſimus, ſiniſtrum latus pone oculum & ad aurem veluti ſub cerebro occupans; Noctes atq; dies præ maximo dolore agebam inſomnes, omne tam ſolis quam candelæ lumen moleſtiſſimum erat, donec poſt decem dies miſerrime peractos magna puris ſanguine mixti vis ex nare & aure affecti lateris proflueret. Tunc pedetentim remittebat dolor, febris etiam paulatim decreſcens tandem evanuit.

Per plures annos moleſtias ganglii tendini digiti pedis majoris inſidentis pertuleram, illud, cum abſceſſus iſte rumperetur in

capite, & quotidie multum purulentæ materiæ evacuaretur, præter omnem opinionem diſparuit, nec unquam etiam rediit. Similem obſervationem ſequenti anno a fratre meo communicatam accepi. Cum ſcilicet Vir quidam ganglion in medio digito ultra decem annos circumferens graviſſima cephalalgia corriperetur, nuchæ tandem cutis in tumorem elevatur, ex quo apertione facta per decem ſeptimanas ichoroſa, putridaque ſucceſſive profluxit materia, eoque ipſo ganglion ſimul evanuit.

Naturas Morborum eſſe Medicatrices pluribus illuſtratum eſt hoc ævo ſcriptis, ut tota vocis Naturæ latitudo, & de ea inſtitutæ quæſtiones exhauſtæ eſſe jure videri poſſint. Medicatrices vero fiunt naturæ (ſeu motus & mixtura humorum melius ſeſe habentes) dum morbos ſuperant, eosdem vel ad declinationem, & tandem finem ſine ambagibus deducendo, vel in alios transmutando, qui etiam omnium ærumnarum, atque ægritudinum felicem tandem faciant finem. Hæc novorum morborum eorumque ſalutarium geneſis non fit per Metaſtaſin quandam, quæ ab Hippocrate, excepto aphoriſmo ſeptimo Sectionis quintæ, ſemper in malam partem uſurpatur, teſte Doctiſſimo J. Heurnio Inſtit. Med. L. V. c. II. p. 59. quod per eam majus corpori humano periculum immineat, quam ex priori morbo; *tolerabilior enim ut eſt morbus qui validis venit viribus, quam qui effoetis, ita primigenii morbi materia eſt mitior, quam ſecundarii per metaſtaſin nati.* Heurn. c. I. L. XI, c. V. p. 126. Sed mutatio ea fit per Diadoſin, quatenus in morbum minoris periculi, ignobilioris loci, cum viribus ægri quadantenus redeuntibus morbus gravius affligens, ut hac ratione leviori opera ſuperetur, abit. Sique ullibi, hic certe Celeberrimi Sydenhamii de morbis acut. in gen. Cap. I. pag. 39. allata morbi definitio, quod ſit *Naturæ conamen materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis*, locum invenit. Sic diligentiſſimus Obſervator Baglivius omnes pleuriticos, quibus in interiora auris dolor & exinde abſceſſus & pus ſupervenerunt, ſa-

natos

natos vidit *Prax. Med. L. I. c. IX. p.* 51. (Ante aliquot menſes annotavimus, mulieri gravidæ ſpatio ſex ſeptimanarum ante partum quinquies maximam revera ſangvinis quantitatem ex utero profluxiſſe, manente nihilominus in ſuo ergaſtulo embryone: Neque autem matri debili, neque fætui juxta aphoriſm. Hippocratis 60. Sect. V. hæc ſangvinis profuſio humanis oculis videri poterat ſalutaris. Eventus tamen docuit, Naturam artificio ſibi ſoli intellecto opera ſua in commodum hominis exequi. Cum enim fætus præterlapſis novem menſibus ederetur in lucem, fons & ſcaturigo ſangvinis ante partum expulſi apparuit; Secundinis ſaccus adhærebat ſangvine adhuc ſemiplenus, itemque informis maſſa carnea oblonga. Quoties itaque ſangvis ſaccum iſtum quantitate ſua extendit, fætui neceſſario incommodavit: Is autem fortiori motione ſpatium amplius ſibi quærens ſaccum compreſſit, & conſequenter exinanivit. Quis non concipiat, hoc beneficio ſi caruiſſet mulier, vel ipſi vel fætui ſi non mortem, graviſſimum ſaltem periculum ex abortu imminuiſſe, non aliter ac labem arboris ramo aut fructui, quando hic ante maturitatem excutitur. Quæ ſanguinis excretio etſi proprie non ſit vocanda Diadoſis vel Metaptoſis, hic tamen mentio ejus facta fuit, quod præſens negotium quam maxime illuſtrare videatur) Ita Icterus paſſioni Iliacæ ſuperveniens ſalutaris fuit. Saluberrimæ in quibusdam morbis obſervantur diarrhoeæ. Aphthæ in Cynanche apparentes, maximum attulerunt levamen plurimorum Symptomatum, & morbi primarii fecerunt finem. Quas morborum proficuas mutationes conſiderans Methodicæ ſectæ creditus Conditor Aſclepiades, *febre ipſa præcipue ſe ad remedium uti profeſſus eſt*, quemadmodum refert Cornelius Celſus L. III. c. IV. p. 118. Et ipſe hic Latinus Hippocrates eodem libro cap. IX. p. 138. *Circumſpecti hominis eſſe*, dicit, *& novare interdum & augere morbum, & febres accendere.* Modum autem, quo in præſenti caſu diadochæ hæ factæ fuerint, ſi dicere, & in ſacraria hæc Naturæ quodammodo

penetrare, liceat, crediderim ab omnibus concedi, obſtructiones in corpore ſcorbutico, & ad cachexiam prono, ſimulque febri quartana & erratica pertinaciſſima vexato facillime oriri, præprimis cum quamplurimas ſubinde ortas eſſe, graviſſima ſymptomata in morbi hiſtoria recenſita atteſtentur, quæ tamen a vigore humorum non penitus dejecto ſublatæ ſint: Deinde febres maximam partem a mixtura particularum ſangvinis turbata, (cui ſtatim comes fit motus irregularis) lentore ſeri plus minus dominium in reliquas ſanguinis partes exercente, dependere: Tum etiam ex vario fibrillarum vaſa vel partes alias ſolidas conſtituentium plexu exſurgere variæ magnitudinis interſtitia, quæ poros nominamus; eaque præterea per vim externam aut fortiorem aliam nanciſci figuram certam, quam, quousque licet, retineant, uti in fonticulis videmus. Si itaque in anguſtias feratur, vel lateat in iis humor craſſus, etſ. non tantum ratione diverſarum particularum, ſed etiam ratione continuo retro commoti & impulſi liquidi latera diſtendat, vel etiam corrodat, amplius acquirit ſpatium, & eo ipſo majores vires; præprimis cum ob mutatos, & ad certam figuram redactos poros novæ ſine intermiſſione advehantur copiæ; non difficile conceptu eſt, partes ſangvinis heterogeneas & ſeroſas ſeu viſcidas huc commigrare & a reliqua maſſa ſecedere. Dum vero ſangvis hac ſpurcitie liberatur, tenuior & purior fit, melius vaſcula minima ſubit, verbo: Liberius in circulum agitur, & ipſa tandem febris nutrimento deſtituta diſparet. Cæterum ganglia ſimul evaneſcunt: Nihil enim aliud ſunt quam tumores ex fibrarum tendinoſarum ab externis communiter injuriis producta diſtorſione vel ruptura, & collectione, ſtagnationeque conſueti quod vehunt liquidi orientes, eo fere modo quo gallæ & aliæ excreſcentiæ in arboribus & plantis naſcuntur, de quibus oculatiſſimus Malpighius in ſuis de iis commentariis elegantiſſimis videri meretur. Nec vaſa deſunt ſangvinea, ſed in illis extenſionibus & contortuplicationibus paſſim diſperſa ſunt. Quatenus itaque humo-

rum agitatione fortiore clauſtra rumpuntur, ab adventante ſangvine ejusque contentis majorem libertatem nactis ejicitur hoſtis, craſſities ſcilicet attenuatur, in motum concitatur, fibris redit ſuus vigor, ejecta materia inutili ſolidum ad naturalem redit figuram, & Natura tandem de morbo triumphat. Huc pertinet quod dicit, laudatiſſimus Heurnius, Inſt. Med. L. XI. c. IV. p. 123. *Criſis mutatione perficitur, mutatio autem motu.* Quantas vero commotio humorum habeat vires, Ira teſtari poteſt, qua, ut apud ſcriptorem quendā eſt, mutus loquelam recepit. Referenda etiam huc curioſiſſima obſervatio de Ganglio, imminente partu, evaneſcente, & poſtea renato, quam Excellentiſſimus Moinichen, in Act. Med. Hafn. Vol. I. Obſ. LVI. p. 110. ſequentibus verbis tradit: *Illuſtris matrona multorum liberorum felix mater, ganglion ad carpum jam annos aliquot habet, avellanæ magnitudine, indolens, quod proximis partui diebus ſponte evaneſcit. Senſim decreſcens leve aliquod ſugillationis indicium in circuitu relinquit, quod & ipſum per cutis poros omnino diſſipatur, certiſſimo brevi inſtantis partus argumento, quod repetita experientia jamdudum advertit laude digniſſima Matrona. Secunda a partu ſeptimana, quod penitus abiisſe jurares ganglion, in eodem, quo ante fuit, loco revertitur, ſenſim ad priſtinam aſſurgens magnitudinem.*

OBS. XIX.

VENÆ JUGULARES EXTERNÆ IN UNO LATERE DISCISSÆ.

SAluberrime inſtituit provida Natura, ſeu DEUS Optimus Maximus, ut vaſa, jugularia dicta, quæ ſangvinem ex capite ad cor, & hinc rurſus ad caput vehunt, ubi in quam plurimos abeunt ramulos, imo juxta experimentum Anatomici accuratisſimi Philippi Verheyen *Anatom. Tract.* VII. *c.* II. *p.* 283. externarum & internarum venarum ramuli frequenter ſibi inoſculantur, du-

plicia

plicia eſſent, in utroque ſcilicet colli latere. Facilis enim in tanta particularum ſangvinis diverſitate, & perverſo vivendi modo, eſt ad obſtructiones occaſio. Quid? quod externa injuria, vel alia vis unum latus tam graviter interdum lædat, ut dicta ibidem vaſa maxime afficiantur, imo interdum abſcindantur.

Accidit, quamvis raro, anomaliam quandam in aliis corporis humani partibus obſervari in ſyſtemate arteriarum & venarum, interdum cum nullo, vel minori, quandoque autem maximo periculo, quod homini inde ſubnaſci poteſt. Meminimus præſente & arbitro Excellentisſimo Albino, nos anno MDCVIC Francofurti ad Viadrum in ſubjecto virili anatomico vidiſſe duas arterias emulgentes ad dextrum renem excurrentes; Anno vero MDCVC menſe Februario in ſubjecto fæmineo obſervaſſe arteriam ſpermaticam alterius lateris in ſe minimam ſtatim in principio in pingvedine obliterari: quem forſan defectum arteria iliaca compenſavit, vel illa oppoſiti lateris. Majus vero periculum & mortem ipſam attulit arteriæ axillaris ſimplicitas, de qua Celeberrimus Bidlo in publica cathedra ſequentem anno MDCIIC recenſuit obſervationem: Juvenis Haga Comitum oriundus Aneuriſma geſtaverat in brachio per aliquod tempus, quod cum de die in diem rueret in pejus, exercitatiſſimus Chirurgus Petrus Adriani Verduyn Amſtelodami adhibetur in conſilium. Hic varia quidem adhibet remedia, ſperatus tamen non ſequitur effectus; manuali itaque operatione ſuppetias ferri debere perſpiciens, iſti, amicorum ægri conſenſu ſeſe accingit, præparat brachium, aneuriſma a circumjacentibus partibus ſeparat, poſt ligatione facta ipſum exſcindit integrum. Finita operatione brachium ſtatim expalleſcit, ſecundo die ſphacelo corripitur & quarto ipſe & oritur æger. Cum aperiretur brachium, quo cauſa repentini hujus infortunii appareat, inventa eſt arteria axillaris ſimplex, quæ alias duplex eſſe ſolet. Membrum itaque ſanguine deſtitutum emori debuit neceſſario.

Hæc

Hæc omnia pericula ſapientiſſimus DEUS duplicia faciendo vaſa capiti & cordi intermedia in maximum humani generis commodum avertit. Si vero nihilominus internis, quæ ſangvine proſpiciunt, partibus vaſa lædantur, preſſo mors ſequitur pede, ut recte pronunciat doctiſſimus Celſus *L. V. c. XXVI. p. m.* 253. & eruditiſſimus Bohn *de letbal. vulner. p.* 273. quod nullum quocunque modo ferri poſſit remedium ſiſtendo ſangvini. Læſionem vero venarum externarum jugularium cum interitu ægri non ſemper conjunctam eſſe ſequens confirmabit Obſervatio:

Cum anno MDCXXXVII. per totam fere Germaniam immenſum tam gereretur quam ſuſtentaretur bellum, militibus etiam repletum erat celebre Pomeraniæ emporium, Stetinum. Inter quos, ut eſt hominum genus inquietum, cum perpetuæ vigerent diſcordiæ, duo aliquando equites inimiciſſima concurrebant animorum contentione, illatam vel acceptam ab alterutro injuriam vel defenſuri vel propulſaturi. In quo conflictu alter vehementi acinacis ictu alterius collum in uno latere graviſſime lædit, & venas jugulares ſimul diſcindit. Vulnus erat ſex latos digitos longum, & quoniam muſculi in contrarium poſiti æquilibrio ſublato confeſtim contrahebantur, caput ſimul in iſtud latus declinabat, & vulneris hiatum eo majorem & viſu horridiorem efficiebat. Maxima etiam ſangvinis copia ex dilaceratis vaſis continuo profuſa, non parum ad majus profluvium contribuente iracundiæ impetu, vires inſigniter dejecerat. Hoc rerum ſtatu in auxilium vocati accurrimus. Nec mora, quin vulnus diligenter tractemus, majori tum quidem fiducia quam ſpe ſanitatis. Prima cura fuit ſangvinem ſiſtere, deinde vulnus decenter deligare. Loco ſuturæ cum acu, quæ hic adhiberi non poterat, emplaſtra, poſtquam crines abraſi eſſent, firmiter glutinantia utrinque applicantes, labia vulneris modeſte attraximus, & præterea quæ neceſſaria erant impoſuimus. Medicamenta interna fuerunt cordialia & vires reficientia, atque a Symptomatibus præmunientia; externa vero

ſarcotica dicta & circa finem cicatriſantia. Et hac quidem methodo præter plurimorum ſpem priſtinam recuperavit ſanitatem eques: Niſi quod collum permanſerit quodammodo rigidum.

OBS. XX.

TRIBUTUM LUNARE PER MAMMAS SOLUTUM.

IN eadem civitate eodemque anno vidua tinctoris mammis ulceroſis laborabat. Fruſtra per integrum annum & ſex menſes remedia cujuscunque generis applicata erant; Iis enim dolor quidem levabatur, ad perfectam autem ſanitatem ulcera perduci non poterant: Quando enim omnia fauſta promittere videbatur morbus, intumeſcebant rurſus mammæ, ingentem ſanguinis copiam eructantes, & tum totus morbus recrudeſcebat & diligentiæ Chirurgorum illudebat. Cum autem omnes circumſtantiæ probe examinarentur, apparuit, iſtud ſangvinis profluvium ſtatis temporibus redire, & nil niſi tributum eſſe lunare, quod laborioſa Natura, viâ regiâ a muco aliisque impedimentis obſeſſâ hic perſolvebat. Quam ubi Medicus commodis remediis internis & externis præprimis frictionibus, venæſectione & cucurbitulis ſiccis paulo ſupra pudenda appoſitis rurſus patefecit, ut ſangvis libere fluere per eas poſſet, brevi rediit ad ſanitatem mulier, mammarum ulcere quoque exſiccato.

Attenta fluidi atque ſolidi, mutuique eorum reſpectus conſideratio fermenta in latibulis partium ſolidarum hærere gratis hactenus credita ejecit e Medicina, uti pluribus demonſtravit præmatura morte abreptus Doctiſſimus Geuderus egregio libro de Fermentis conſcripto & eruditisſimus Pitcarne *Diſſ. I.* §. 16. *p.* 28. Nullam proinde & in negotio purgationis menſtruæ eadem habent rationem; ſed quantitas ſangvinis certis temporibus accreſcens, & vaſis tandem incommodans primaria ejus ſtatuenda eſt

cau-

cauſa. Voluit ſcilicet ſapientisſimus hominumConditor, ut tam embryonibus quam recens natis infantibus, ex ſangvine fæminarum ſuppeteret alimentum: Ea itaque illius copia neceſſaria erat, ut, præter proprii corporis nutritionem, ad infantis nati & non nati ſuſtentationem ſufficeret. Unde etiam videmus in nutricibus, gravidisque ſuppreſſa eſſe plerumque Catamenia, reliquo autem tempore, quo neque uterum gerunt fæminæ, neque lactant, ſtatis temporibus profluere. Nec maximam admirationem, licet obvium ſit, non excitat, quando videmus Deum benigniſſimum & omniſcium in tenella maxime ætate fæmellarum uſibus futuris hominis quaſi proſpexiſſe: tradit Cl. Warthonus *Adenograph. cap. XVI. p. 96.* glandulam thymum in fæminis largiorem eſſe quam in maribus. Deinde obſervamus mamillas fætuum muliebrium plus ut plurimum continere ſeri lactei quam virilium, evidenti argumento corporis eorum œconomiam aliter quadantenus diſpoſitam eſſe. Meminimus (quod quidem inter rarius contingentia referri meretur) puellæ unius & trium quadrantum anni Lugduni Batavorum anno MDCIIIC a nobis viſæ, quæ tota fere in corpore piloſa erat, facies pro ætate major, & vox gravior. Pudenda conſpiciebantur magna & piloſa, mammæ item magnæ & tumidæ. Ter jam tum menſes ſine ullo incommodo viderat. Nec eſt, quod dici poſſit, Obſervationes proſtare fæminarum tributum hoc lunare nunquam ſolventium, quæ tamen fætum & geſtaverint & pepererint & lactaverint. Vel enim vaſa tam capacia ſunt, ut omnem ſangvinis molem comprehendete poſſint, vel potius, ſi omnes circumſtantiæ bene conſideratæ & annotatæ fuiſſent, appariturum eſſet, aliis in locis ſecretiones fieri ſolitas copioſiores, atque adeo ſanguinem copia ſua ſucceſſive imminutum fuiſſe. In plerisque vero brutis animalibus, ob certum forſitan concipiendi & congreſſus tempus, vivendi genus, hirſutam cutim, aliasque circumſtantias, iſtud profluvium non obſervatur.

Si itaque contingat in eis quibus menſes fluere ſolent, vias

conſuetas a quacunque cauſa gravius oppeſſulari, dolor dorſi & lumborum, calor colorque intenſiores, anxietates præcordiales cum multis aliis ſymptomatibus a bulliente veluti, exiturnque moliente ſanguine exoriuntur. In quibusdam autem fæminis diſpoſitione ſolidi connivente ab majorem motum alias partes perrumpit ſanguis & per eas effunditur, variaque ludit ſchemata.

Recordor anomali talis fluxus anno MDCIIIC. tempore verno a me obſervati Lugduni Batavorum in fœmina XX. annorum lepra Græcorum, graviſſime laborante. En totam, quod pace Lectoris fiat, hiſtoriam: Fæminæ, (cum octavum circiter ageret annum) ex ſubitaneo gravique terrore, quem mulier corpus ejus a poſtica parte graviter pede percutiens injecerat, parva puſtula in capite cum pruritu enaſcitur; ea indies aucta, ita tandam circumcirca increvit, ut totum caput tinea ſicca obduceretur. Varia adhibentur remedia, ſed incaſſum; cumque res eſſet domi anguſta, medelam omnem mater Deo temporique committit. Ante quatuor autem annos inſtantibus menſibus paupercula hæc ſana alias & vegeta, ſanguinis nonnihil fœtidi per fauces interdum reddidit. Et ante biennium copioſior ſanguis reddi cæpit ſingulis menſibus per hanc viam, fluxum concomitate angina. Ab illo tempore tantus univerſum corpus, exceptis partibus aeri expoſitis, invaſit pruritus, ut noctes plurimas non modo inſomnes traxerit, ſed etiam animi deliquium paſſa fuerit. Levamen quoddam moleſtisſimi ſenſus ſentire viſa eſt ſibi, ſi unguibus univerſum qua pruriebat corpus probe & ad ſatietatem ſcalperet: Inde vero cuticula plurimis in locis dilacerata humores profundit, mox cruſtæ minores inæquales & albæ, poſtea non nihil flavæ & maxime duræ paſſim, præprimis verò in utroque hypochondrio, minus vero in pectore confertim elevari cæperunt, quin ita accreverunt, ut neutiquam incedere, ſed per annum cruribus contractis vel continuo decumbere, aut complicatis iisdem ſedere cogeretur. Anno MDCIIIC nullæ fere

ræ partes ab iſtis cruſtis liberæ conſpiciebantur, quam illæ, quæ aeri exponuntur. Quæ cruſtæ, quando caſu decidebant, cutis erat ex livido nigra, mox prurigo valde recrudeſcebat, brevique eandem duritiem, inæqualitatem, & magnitudinem acquirebant de novo ſurgentes cruſtæ. Interim alvus quotidie reſpondebat, corpus ſenſim exareſcebat, appetitus ſubinde maximus, ſitis vero continua, implacabilis, vigiliæ continuæ, ob pruritum & dolorem mordentem, qui rigidior fiebat, quamprimum lectum petebat, vel alio calore perfundebatur, miſerrimam affligebant & ſolicitabant. Capilli pæne omnes deficiebant, ungues exareſcebant, & aquilinæ fiebant, aut decidebant aut findebantur. Cæterum ſcabies hæc peſſima non inficiebat alios. Ante aliquot menſes per cruſtas capitis ſponte diſruptas ſanguis niger, fœtidus, grumeſcens, non nihil ſanioſus ſingulis tribus vel quatuor ſeptimanis emanabat, qui interdum e faucibus naribusque profluebat; præterea vero narium hæmorrhagiam ter quaterque per ſeptimanam patiebatur, ab eoque tempore per cubiculum meare & extra ædes ambulare poterat. Brevi poſt diarrhœa ſuperveniebat, quæ tamen unicæ Diaſcordii Fracaſtorii doſi cedebat. Fluxum menſium nunquam per conſueta loca viderat. Multa hactenus in tam gravi morbo a variis Medicis in uſum vocata erant remedia, purgantia, ſudorifera & alia, imo ipſa ſalivatio Mercurialis, ex qua tamen malum exacerbatum fuit. Tandem convulſionibus correpta dolorum & moleſtiarum plenisſima fæmina menſe, ni fallor, Majo, anni MDCIIC diem obiit ſupremum. Aperto cadavere interranea cuncta naturalia, nec niſi cutis infecta, conſpiciebantur. Ea vero levisſima contrectatione a carnibus ſubjacentibus, vividiore quam alias colore tinctis ſecedebat.

OBS. XXI.

VULNUS CORDIS SANATUM.

ANno MDCXLII. Celebris Pariſienſium Chirurgus & Anatomicus Tourby in ſuis ædibus me aliisque multis præſentibus cultro anatomico ſubjiciebat Juvenis cadaver. Cumque interiora attentius perſcrutaretur, incidit ipſi in memoriã hunc ipſum hominem ante quatuor annos tempore nocturno punctim in pectore læſum, & a ſe curatum rurſus fuiſſe, adeoque commodum nunc eſſe inquirere quorſum penetraverit gladius. Omnia accurate inveſtiganti apparuit tandem, conum cordis vulneratum fuiſſe; Cujus vulneris evidentisſima teſtis, cicatrix adhuc reſtabat ab omnibus clare conſpicienda.

Multis ſapientiſſimus Creator cor præmunivit involucris, ne periculis externisque injuriis tam facile exponeretur. *Hic enim*, graviter pronunciante Hippocrate Libro de corde cap. V. §. 12. ſqq. *fontes ſunt humanæ naturæ & hic flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur.* Non tantum oſſeo pectore, variisque muſculis & pleura, ſed etiam pulmonibus, mediaſtino & pericardio (ſolo namque glire excepto, nullum, animal huc usque viſum eſt, in quo pericardium defuerit, inquit Taury *Anat. cap. IV. p.* 59.) includitur. Accidit tamen interdum, cordi vulnera infligi, quæ communiter lethalia ſunt; licet ventriculos non penetrent, quia ſitum habet tam remotum, ut manus humanæ nulla ope eidem afflicto ſubvenire queant: Bonitati igitur Naturæ ſive ſuccorum adſcribendum eſt potius quam arti, ſi vulnera hæc perſanentur. Ipſi autem Ventriculi ſi perfodiantur, mors indivulſus ſtatim adjungitur comes. Cito autem utplurimum irruit ſupremus dies, ſupremaque hora, ut inter læſionem mortemque vix momenta aliquot intercedant. Inter miracula igitur quis non referat læſo gravius corde homines aliquot nihilominus ſupervivere dies? Retulit nobis Celeberrimus Fredericus Dekkers, Vir maxime ingenuus, ruſtici alicu-

licujus cordi cultrum ab alio fuiſſe infixum, ex qua plaga protinus in terram conciderit læſus, multumque ſanguinis profuderit. Attollitur, in proximam domum deportatur, & vulnus pectoris neceſſariis remediis adhibitis deligatur. Per octo dies ſine ullis fere ſymptomatibus decumbit, pulſus arteriarum nullibi percipitur, motus tamen muſculorum perſiſtit, die nono graviſſima paſſione Iliaca corripitur, & ſequente nocto moritur. Cum apertum fuiſſet pectus, vulnus conſpici potuit cordis duos transverſos digitos latum, præterea in eo latere, quo culter verſus eſt, ipſum cor laceratum fuit. Neque autem in ventriculis eorumque auriculis, neque arteria magna aut vena cava ſanguis inventus fuit. Imo cor ipſum, ut verbis Viri Honoratiſſimi propriis utar, luridum fuit, minusque commode tractari potuit. Quis non in ſummam rapiatur admirationem, vitam cum tam enormi læſione tam diu conſtare potuiſſe. De ſimilibus vulneribus Excellentiſſ. Bohnius Libro *de Lethal. vuln. p.* 300. ſqq. aliquot obſervationes adducit. Et Celeberrimus Borrichius Principis Regiæ Mariæ Auriacæ cor pæne conſumtum fuiſſe refert; vid. Barthol. *Epiſt. Med. Cent.* III. *ep.* 85. & confer. Libri hujus *Obſ.* XXVIII.

OBS. XXII.
CACHECTICI SIMULQUE EMPYICI ANATOME.

ANno MDCXLVIII, die vigeſimo octavo Januarii pectinum confectoris cadaver in præſentia Domini Doct. Nathan Vogt cultro anatomico ſubjeci. Hic per tres ſeptimanas lecto affixus inter vivos tandem eſſe deſierat. Referebant ſanguine conjuncti, eum ultra tres annos traxiſſe morbum, & cum debilitate virium tuſſi, difficilique ſpiritu ſeu aſthmate conflictatum fuiſſe; imo ante annum ſpatio quatuor hebdomadum multum ſanguinis per ſuperius inferiusque guttur ejeciſſe. Poſtea

ea autem, præprimis tempore vitæ ſuæ ultimo, cum dolore perpetua preſſio ſub coſtis nothis, magis tamen in dextro quam ſiniſtro latere, circa ſtomachum atque cor ægrotum afflixit; ita quidem, ut nil fere cibi aut potus perferre potuerit. Hiſce ſymptomatibus ſeſe aſſociavit ſudor continuus, ſomnus multus, poſt ſomnum vero lipothymia & major debilitas, alvus interdum adſtricta, interdum laxior, copioſa atra materia ſociata, urina albida & turbida, ſedimentum pallido-rubrum deponens, quem colorem affectionemque conſtanter retinuit.

Cum itaque aperiretur corpus, locus affectus ipſeque morbus clarius apparuit, quam in vita ejus: Habitus enim fuerat pro obſtructione Hepatis & lienis. Hepar, I. cum lobis ſuis a figura naturali recedebat, & inſtar molis carneæ lividum, jamque in multis locis ſanioſum erat. In aliis quidem ſubjectis robuſto ligamento diaphragmati communiter annexum conſpicitur, hic vero non tantum ubique in unum veluti viſcus cum diaphragmate coaluerat, ſed etiam communi viſcerum adominis involucro, peritonæo adhærebat. Et, quod rarum erat, veſica fellea deſiderabatur. II. Ventriculus magnus erat & tenuis. III. Lien dimidia parte corruptus formam non obtinebat naturalem, quemadmodum appoſita monſtrat figura. IV. Ren ſiniſter parteſque ei circumjacentes ſangvineo atroque perfuſæ erant colore, jamque gradum fecerant ad putredinem. His ita perluſtratis, omnia ventris hujus contenta eximebam. Tum vero diaphragma præternaturaliter in ſiniſtro latere propendens, oculos manumque ad ſe convertebat. Arbitrabatur equidem Medicus molem hepatis membranam hanc muſculoſam ita pondere ſuo inclinaſſe, ut ſitum, eo licet remoto, conſtanter nunc retineat: Ego vero cultro illud pertentans, parvam facio inciſionem. Statim occurrit materia, ejusdem, cum ſero lactis parte adhuc commixto, conſiſtentiæ: Majus itaque reddo foramen, & vel ſedecim libræ deſcriptæ materiæ profluunt. Thorace diffracta nullus ejus lateris

teris apparuit pulmo, ne veſtigium quidem ejus. In altero autem latere bene conſtitutus inveniebatur. Cor, ut ſaccus vetuſtior, flaccidum erat. Dimidii pectoris cavitas veluti corio albo aut calce obducta conſpiciebatur.

Hæc itaque magna purulentæ materiæ vis primaria ſine dubio cauſa exſtitit debilitatis virium, anxietatis præcordiorum, preſſionis in dextro latere, & lipothymiæ poſt ſomnum ingruentis. Dum enim ægrotus ſomno fruens ſupinus decubuit, collectum pus propius acceſſit cordi, in motu illud turbavit & impedivit, atque adeo λειποψυχίαν quandam produxit: Rediit autem animus, ſi evigilans ſitum corporis mutavit, erectaque ſedit cervice. Defluxit enim murmure quodam, ut adſtantes referebant, ad locum declivem, ſicque nobiliſſimum corporis viſcus, elaterem communem, receſſu ſuo ſublevavit. Paracenteſi quidem thoracis inſtituta, ſi morbus ita ſtatim innotuiſſet, interior pectoris cavitas moleſtiſſimo hoc hoſpite liberari potuiſſet: At enim vero, poſtea, quoniam cætera viſcera Cachexia graviſſima affecta erant, nullum, ut credere fas eſt, operatio hæc tuliſſet auxilium.

Quanti fructus ex Anatome Practica Medicis capiendi ſint, quivis vel leviter in his ſacris verſatus mente comprehendit. Non tantum morbus melius innoteſcit, ipſaque belli in Microcoſmo ſedes; ſed etiam per analogiſmum quendam, non tamen empiricum, ad certiorem morbi notitiam, melioremque curationem aptatur via. Quid dicam de Medicina phyſiologica? Quæ hac occaſione quotidiana ſumit incrementa, & hypotheſibus rationalibus firmius robur addit. Cuique igitur incumbit Medico, hac etiam parte pro viribus rem augere Medicam, atque eam ornatiorem certioremque reddere. Et in hunc usque diem Bibliothecæ incomparabilis Thomæ Bartholini lugenda eſt incendio facta jactura, quæ permultas morbis defunctorum Anatomias, tanquam maximum recondebat theſaurum!

Non male feret benevolus Lector, ſi duarum ſectionum Anatomicarum lectione eum diutius paulo detineam. Prioris copiam fecit Vir Lugduni Batavorum, anno MDCIIC die vigeſimo Maji, Ictero, graviſſimisque aliis ſymptomatibus per aliquot annos laborans & tandem mortuus. Expedit vero maximam hiſtoriæ morbi partem præmittere, & tandem corrupta viſcera oculis exponere.

Petrus Fontain Vir XXXIII. annorum ante ſeptem vel octo annos corripitur febre quartana intermittente. Eâ per qualiacunque remedia fugatâ ſentit dolorem præcordiorum gravativum, ad latus dextrum ſeſe extendentem, nec non ſiniſtrum aliquando occupantem. Dextrum latus in tumorem durum quidem, ſed tamen indolentem fere elevatur. Aliquo tempore poſt oculi admodum flavi reddi, & palpebræ totaque facies regio hoc colore infici cœperunt. Cæterum toto hoc temporis ſpatio munia obiit conſueta, victumque laborioſe quæſivit: Erat enim infimæ ſortis homo. Urina, quam non ſine dolore & dyſuria excrevit, rubicunda admodum fuit, & quaſi nigricans; qualem ſe per quinque annos reddidiſſe, fatebatur: Quando refriguit, ſedimentum depoſuit craſſum, rubrum, ſuperius nigricans, atque copioſum. Alvus ſemper fere aperta, rariſſime obſtructa, excrementa flaveſcentia vel naturali colore tincta exturbavit. Ante aliquot menſes conquerebatur imprimis de dolore capitis matutino, qui veluti ex halitu ſeu vapore ex abdomine adſcendente in fauces & demum in caput excitaretur, non nunquam etiam animi deliquium induceret. Præterea dolore faucium premebatur, dicebatque ſe rejicere phlegmata ſubcruenta & viſcida: Inſpicientibus in fauces pone columellam ſanguis concretus apparuit; rogatus cujus hæc rejectanea ſint ſaporis, aſſerebat, ſe nullum evidentem in iis percipere; nihilominus animam habebat foetidam. Semel ipſi tum ſuperveniebat vomitus, inſigne levamen adferens anxietatibus præcordialibus, reſpirandi difficultati, & capitis dolori. Circa

ca pedes vero apparuit rubor quidam ; & ſputavit cruenta, quam excretionem ſemper anteceſſit titillatio quædam faucium, unde non raro tuſſis ſicca & frequens. Varia quidem ab experientiſſimo Dekkero vocata ſunt in uſum remedia quæ etiam ſpem quandam futuræ ſanitatis ſuſcitare videbantur, dum Symptomatum impudentiam aliquomodo refrenabant: Verum enim vero fallaces fuerunt induciæ ; & ſimulatam pacem magis exitiabili bello fregit Morbus, donec tandem viribus corporis plane conſumtis de natura ageret triumphum. Dum namque vitales ſucci paulatim imminuerentur & vehementer depravarentur, decolor magis redditus eſt habitus & ex ſuccus ; Et ante duos menſes febris lenta cum diarrhoea bilioſa corpus per duos annos ictericum invaſit, lingua erat fiſſa, & arida, ſitis intenſa, ſputa cruenta ; Imo quandoque magna cruoris vis per os ejiciebatur, licet bis vel ter enormis adfuerit narium hæmorrhagia, ex qua ultima vires ita dejiciebantur, ut jam moriturus videretur. Redierunt tamen aliquo modo. Sangvis profuſus levi evaporatione inſtituta examinatus, ne gry coloris rubri reſtantis exhibuit, ſed tenaciſſimum gluten. Urinæ quotidie inſtar fecum vini rubri erant, tuncque hepar prædurum & magnum ultra coſtas extra verſus prominebat. Si quid aſſumeret æger ſtatim inde moleſtias ſentiebat ; fortaſſis ob molem hepatis ventriculi expanſionem debitam impedientem. Die decimo octavo Maji qvinquagies alvum dejecit, feces variegati plumbeique fuerunt coloris, febris fere non obſervata, ſed brevis & frequens fuit reſpiratio. Die decimo nono cum vultu dejecto ægrior evaſit, & ſub noctem obiit miſerrimus homo.

Cum emaciatum diſſecaretur cadaver, ſtatim ſeſe obtulerunt, abdomine aperto, aquæ claræ, nullo cruore tinctæ, & ſaporis ſubſalſi, pintæ octo. Omentum tenue erat, rubicundum, corrugatum, atque omni pæne pinguedine deſtitutum. Inteſtina collapſa in uno alterove loco inflammationis notam habebant,

aperta vero vacua conſpiciebantur & muco quodam fuſco obducta. Hepar inſignis magnitudinis, non ſolum in latere dextro magnum occupabat ſpatium, ſed etiam ad ſiniſtrum latus protenſum lienem lobo aliquo tegebat: Firmiter diaphragmati accreverat, a quo absque dilaceratione ſeparari non poterat; coloris erat plumbei, & maculis majoribus cineritiis paſſim conſperſum. Veſica fellea, proportione habita, exigua, diſtendebatur bile flavo-viridi. Exiguus in ea deliteſcebat calculus friabilis, coloris nigricantis, & variis protuberantiis ac inæqualitatibus conſpicuus. Lien ſecundum omnem dimenſionem prægrandis pondere quatuor cum dimidia libras æquans extendebatur ultra regionem umbilicalem, corrugatus erat paſſim, coloris plumbei, & in parte ſuperiore ex uno latere tuberculis hydatides referentibus conſpicuus, quæ diſſecta cartilaginea quaſi apparebant. Renum ſubſtantia ſarta erat, & tecta. In thorace magna aquarum colluvies etiam ſtagnabat.

Alterius ſectionis occaſionem dedit anno MDCCII. d. duodecimo Maji infans duorum annorũ hujus loci, qui pauco poſt nativitatem tempore morbo correptus, eum ad hanc usque ætatem traxerat, tandemque inter vivos eſſe deſierat. Morbus erat cachexia inveterata: Quæ in utero materno radices jamdum egerat. Mater ſcilicet uterum gerens ad vehementiſſimam concitatur iram. Ab eo tempore ſibi nec fœtui bene eſſe exactiſſime ſenſit: Legitimo tamen tempore puellam enixa eſt aliquo modo tumidam, & paulo poſt ictero infectam. Quia alter oculus levi lippitudine laboraverat, balnea alias ſolennia omiſerunt Parentes, niſi quod ſordes levi manu ſemel abſtergi curaverint, cum tamen, juxta Lucianum, ſenecta hominum balnea ſint calida, inde factum, ut poris obſtructis ſenſibilis & inſenſibilis inhiberetur tranſpirati o, & malum in utero radices nactum redderetur vehementius. Obſtructio alvi pertinaciſſima hiſce ſtatim ſeſe ſociavit. Acceſſit

tri-

triplex nutricum mutatio, quarum altera fœdum maculis ſcabioſis & rurſus efflorеſcentibus circumtulit corpus. Quid mirum itaque, ſi tenellum corpus conſertiſſimis abſceſſibus inficeretur, quibus denſiſſime interſita erat pruriginoſa ſcabies? Omnis movebatur lapis, quo hydra illa lernæa occideretur, ſed uno detruncato capite decem pronaſcebantur, donec tandem cachexia ad ſummum evecta gradum, hydropem inferret. Fatigavit illa aliquo tempore miſellum corpuſculum, donec tandem anxietatibus & doloribus quotidianis a prima quaſi nativitatis hora expoſitus infans animulam efflaret.

Sectione Abdominis facta inteſtina vento diſtenta proruebant; aqua in cavo corporis fluctuabat, glandulæ meſenterii & omenti ſeroſa viſcidaque materia ad magnitudinem globuli luſorii diſtenſæ erant, eaque tam tenax reddita fuerat, ut digitis difficillime potuerit diſſolvi. Hepar magnum, exſangue, ex albo flavum; bilis atra & tenaciſſima. Ventriculus & inteſtina muſculis quaſi & carne roboreque deſtituta valde tenuia & extenuata. Renes firmi & globoſi. In altero ovario hydatis conſpiciebatur. In cavitate pectoris aqua etiam ſtagnabat, quæ ex inconſiderantia naribus admota moleſtiſſimo odore gravius creabat faſtidium. Alter pulmonum lobus albidior & diſſectus ſpuma refertus. Cor flaccidum erat. Sanguini admiſcui ſyrupum violarum, ſpiritum ſalis ammoniaci, & ſpiritum Vitrioli. Ex iſto nulla fiebat mutatio: Ex illo floride & inſigniter rubebat & fluidior reddebatur: Ex hoc color exſurgebat lutulentus ad aquilum remiſſiorem fere accedens, fluiditas minor conciliabatur, & ad fundum ſecedebat mucor quidam ejusdem coloris.

OBS. XXIII.

SCROPHULÆ SEU STRUMÆ CURATIO.

SCrophulas vel ſtrumas a ſtagnatione lymphæ vel ſolitariæ vel aliis partibus commixtæ in glandulis præprimis colli vicina-

rumque partium oriri occaſiones ad eas docent. Vel enim aeris certa conſtitutio in aliquibus regionibus, ut de Helvetiæ quibusdam, nonnullisque Sabaudiæ vallibus conſtat, cauſa exiſtit. Non parum poſtea ad multitudinem majorem contribuente conſuetudine & imaginatione, ut locus de Macrocephalis apud Hippocratem *Libr. de Aere Aq. & Loc. cap.* XXXV. *ſq.* illuſtrat. Vel aquarum minus ſalubrium, multumque feculentiarum continentium uſus hanc deformitatem, morbumque producit: Confer. Hipp. *c. l. cap.* XXXVII. *ſq.* ubi de Phaſianis ſeu Phaſin accolentibus agit. Vel aliæ innumeræ hujus affectus poſſunt eſſe cauſæ, lapſus, contuſio, partus difficilis, etſ. Comperimus, obſervavimusque hic loci Vitriolum crudum a puella improvide comeſum prima ſtrumarum ingentium, latisſimeque extenſarum, & tandem mortem concitantium jeciſſe fundamenta. Clarius vero cauſam earum ſtagnationem humorum eſſe in glandulis, demonſtrat ſtruma ſubito facta & curata, qualem obſervavit Clariſſimus Veſti Obſ. II. Decadis Collegio Chymico Crameri annexæ. Neque valde difficilis ſemper putanda eſt obſtructionum reſolutio, ſtagnantisque colluviei expulſio, ſi modo in tempore feratur auxilium antequam firmam figat decumbens materia ſedem, inque anguſtiis niduletur.

Illud autem ſingularem poſtulat attentionem, quod tactus manuum Regum Galliæ & Angliæ, imo & Comitum Habsburgenſium, ut refert Celeberrimus Dolæus *Encyclop. Chirurg. L.* II. *c.* II. *p.* 626. maxime vero Valentini Greatrakii Nobilis Hyberni, cujus hiſtoriam ſuccinctam tradit Eruditiſſimus Pechlinus *Obſerv. Libr. III. Obſ.* XXXI. item hominum præprimis phthyſi defunctorum ſalutares in abigendis ſtrumis obſerventur. Jure tales vocari poſſent Salutatores. vid. incomparabilis Morhof Polyhiſt. Liter. L. I. c. XII. p. 115. De quibus ſi quid ſtatuendum, cauſaque tam ſtupendi effectus indaganda, ad animi paſſiones ſeu affectiones, aliasque quasdam circumſtantias oculos dirigendos eſſe au-

tu-

fumo: Producuntur enim eæ, conſervantur & corroborantur per aliquem motum ſpirituum animalium, juxta Nobiliſſ. Carteſium *L. de paſſ. anim. P. l. art.* XXVII. qui animæ & corporis fideles internuncii ſunt. Quanta autem commotionum in corpus noſtrum vis ſit, Celeberrimi Viri, Tobias Andreæ, Fridericus Hofmannus, & Johannes Wilhelmus Pauli doctiſſimis iverunt demonſtratum diſſertationibus. Hic concurrunt Spes, Cupiditas, Fiducia & Horror quidam ſeu mentis averſio. Quivis autem cum laudato Carteſio *c. l. art. CI.* obſervat, in Cupiditate ſeu deſiderio boni, quod adhuc abeſt, cor violentius agitari, quam in ulla alia pasſione; in Spe etiam & Fiducia pulſum magnum eſſe & fortem, nec minus in Horrore ſeu averſione mentis, cupiditate veluti quadam fugiendi malum, juxta *art.* CVI. *Part. ejusd.* humores parteſque ſolidas commoveri validius. (Novimus aliquem familiariſſime, motus irati maris ſine alteratione perferentem, qui, dum loca ſabuloſa & ſaxea, aliaque periculoſa navi emetiri debuit, vomitu ſtatim excruciatus eſt, eo ſtatim ceſſante, ſi ſpatioſo rurſus navis jactetur mari) Nec fortisſima abeſt imaginatio, uti in toto negotio, ita in hoc clarius perdiſcenda, dum filius naſcendi ordine ſeptimus, eadem prærogativa ac Reges gaudere dicuntur, & nos eandem vim exercitam vidimus. Ubi quidem cum M. Varrone ſeptenario numero (qui aliquibus μυστικώτατος creditur) nullam, ut is in libro, qui inſcriptus fuit Hebdomades vel de imaginibus, tradente Aul. Gell. *Noct. Attic. L.* III. *cap.* X. fecit, confer. laud. Morhof c. l. p. 119. ſq. adſcribo efficaciam, ſed ſoli, quicquid ejus eſt, imaginationi imputo. Hi itaque motus inteſtini ab influxu vividiore ſpirituum animalium in partes oriundi materiam ſtagnantem in motum ſimiliter concitare tandemque loculis excutere poſſunt. Neque autem ſola animorum commotio iſtum effectum ſemper producit, ſed accedit manualis contactus, isque repetitus vel etiam frictio, quibus ad motum torpidi veluti humores præparantur. Non male enim frictio poſſet

voca-

vocari præparatoria, ſeu apotherapeutice, juxta Cæl. Rhodig. *Lect. Ant. Libr. XI. c.* III. *p.* 395. cum & Aſclepiades inter res maxime communium auxiliorum fricationem poſuerit, ut eſt apud Plinium *Hiſt. Nat.* L. XXVI. *c.* III. Expreſſe etiam in ſanationis formula Valentini Greatrakii deprehenditur, quod & ſolo contactu, ituque iterato ſanatio facta fuerit, & ipſa natura medicatæ manus auxilio ſemel excitata ad omnis generis excretiones materiam morbificam converterit, ſeque onere liberaverit, *dict. Obſerv. p.* 484. Neque etiam nulla vis effluviis, quæ ex hominum corporibus exhalant, adſcribenda venit. Omnia, jam ſuperius diximus, perſpirabilia eſſe: Quid itaque obſtat, quo minus particulas ſingularis efficaciæ per poros cutis quorundam hominum continuo abire credamus, quæ, ubi per medium äerem non diſperguntur, ſed ſtatim alia corpora contingunt, & frictione quadam veluti impelluntur, peregrinum in iſtis excitent motum. Novimus aliquem Hafniæ, qui ſingulari odoratus delicati gaudebat beneficio; ut breviſſimam infantum in aliquo loco moram & præſentiam ſenſu hoc reſciſceret; quam ex multis nemo conjicere aut animadvertere poterat. Non diu eſt, cum mulier quædam præludia febris malignæ ſentiret, adhibet ſtatim ſudoriferum, & impenſe cum levamine ſudat. Statim ac lectum reliquit canis minor illum petit, calore allectus; ſed poſtquam per aliquod tempus ibidem jacuit, ægrotans lecto ſeſe ſubtraxit, & per aliquot dies præter maximam debilitatem calore continuo emaciatus eſt. Alia occaſione obſervavimus, in catulum, abdomini in doloribus colicis impoſitum, tormina veluti tranſlata eſſe. Confer. Kenelmi Digby diſcurſ. de pulv. ſympath. p. m. 58. Boyle de mira ſubtil. effluv. & Atmoſphæris corporum. Morhof, de Senſ. Paradoxis etſ. Applicatio autem manus phthyſi mortui cui non incutiat horrorem vel averſionem, licet deſiderio ſanitatis mentem contra eum obfirmet? Et neſcio quis penetrans calor ſudorque in phthyſicis obſervatur, hoc autem ſæpiſſime in & ſtatim poſt mortem udæ

ſunt

ſunt manus. Quas aliaſque hoc trahendas circumſtantias ſi conſideramus, cauſa fortaſſis, neque a ratione abhorrens, hujus effectus apparebit. Cæterum quia ſtrumæ glanduloſarum præprimis partium morbus ſunt, facileque in cancrum vel ſcirrhum degenerare poſſunt, providum cautumque requirunt exſiccantium & calidorum uſum, ne lympha aliquo modo adhuc mobilis, fluidioribus, tenuibusque diſſipatis particulis, tenacior reddatur, inque gypſeam tandem migret ſcirrhoſamque duritiem. Reſolventia itaque omne hic ferunt punctum, neque huc, neque illuc excedentia, ſed media. Temporis etiam an diu aut brevi duraverint, ratio inſtituenda eſt.

Anno MDCLXIV menſe Februario conſilium auxiliumque meum expetebat faber ferrarius Abbatis fiduciarii Büröenſis, homo XXIV annorum, vaſtique corporis. Geſtabat in dextro latere colli, parte auris antica & poſtica, ſtrumam ſeu tumorem expanſum & renitentem, lapidea quaſi materia ſimul refertum, coloris aliquomodo rubri ad cæruleum accedentis, magnitudinis palmæ majoris, qui caput in alterum latus inclinaverat. Tria huic tumori impreſſa foraminula ſerum viſcidum tenaxque plorabant. Ea cum ſubtili ſtilo pertentarem, muſculorum interſtitia profunde ſubire, deprehendi. Principium itaque curationis feci turundulis ſenſim intruſis in iſtas cavitates, quo ita ampliarentur, ut turundas majores & condenſatas, quæ humido tumoris perlitæ majus ſibi comparent ſpatium, (Qvell-Meiſſel) ductuumque cæcorum latera expandant, immittere poſſem. Dum hæc fiunt, tumori imponebam Cataplaſma ex radice Althææ, liliorum alborum, brioniæ, ireos noſtratis, floribus chamomillæ, meliloti, ſeminis lini, fœni græci cum ungvento althææ præparatum, eoque per tempus continuabam; interea etiam aliquot vicibus ægrum purgavi anethinis pilulis, & quoniam plethoricus erat, venam in brachio bis pertudi. Poſtea dicta foramina impoſitione Mercurii præcipitati cum addito ſale Vitrioli, interdum

dum quidem ſicci, interdum vero Ungvento baſilico commixti in tantum ampliavi, ut apicem digiti minimi, poſtmodum autem totum intrudere, materiamque peccantem oculis luſtrare potuerim: Inſtrumento itaque adaptato portiunculas ejus piſorum magnitudine ſeparavi a reliqua adhuc reſtante. Earum ſubſtantia exactiſſime referebat induratum ex flavo albeſcentem veteremque caſeum, tantæque erant duritiei, ut digitis comminui nequiverint. Cum ſeparatione quarundam portiuncularum majuſculum concederetur ſpatium, tenue acuminatumque inſtrumentum ad profundum demiſi: Quoniam vero ad ſuppurationem perduci non poterat tumor, linum carptum laudato applicui inſtrumento, oleoque antimonii acerrimo madefeci, & loca quæ volebam attigi. Hoc etenim oleum cito ſeparanda ſeparat; inſtar ignis quidem urit, cauſticumque eſt, ſed hoc modo applicatum non excedit limites, dolores cito evaneſcunt, quod non fit ex uſu arſenici vel Mercurii ſublimati. Hoc filo omnes perquiſivi angulos, intimosque tumoris receſſus, & depravatum ſeparavi ab integro. Non deſii inſpergere interdum laudatum Mercurium præcipitatum cum Sale Vitrioli (qui in præparatione terræ Vitrioli dulcis ex Aqua per evaporationem acquiritur, eſtque in impuritatibus ulcerum egregium medicamentum) mixtum, tunc autem vulnus per XXIV horas non apperui, eo enim tempore portiones majuſculæ a reliquis receſſerant, levi negotio eximendæ. Externe imponebam Emplaſtrum Vigonis cum Mercurio cum æquali pondere emplaſtri de gummi ammoniaco, cui adhuc de Mercurio vivo cum axungia porcina extincto parum addidi: Quod in hiſce caſibus permultum valet. Cataplaſma enim morbus diutius ferre recuſabat. Hiſce continuavi, donec omne, quicquid peregrini reſtabat, ex cuniculis veluti plane exturbatum eſſet. Cum autem collum hac mole liberatum reſurgeret, omnis cutis antea diſtenſa flaccida erat, marſupiique evacuati in modum undique propendebat. Redibat tamen naturalis

ſitus

ſitus partiumque vigor, & caro firma renaſcebatur. Applicabam ungventum digeſtivum, & ne ſpongioſa pullularet caro, ſæpius aqua viridi mihi uſitata illam madefeci. Tempore autem toto curationis, quæ in duos protrahebatur menſes, præter pilulas anethinas interpoſitas, infuſum radicis ſcrophulariæ quotidie hauſit. Hacque ratione ſine omni labe reliqua priſtinam faber hicce recuperavit ſanitatem.

Anno MDCXLV. puer XIV. annorum in utroque colli latere geſtabat ſimilem tumorem, qui, quoniam Parentes ejus nullam habebant curam, inſenſibiliter eum diſſolutum iri arbitrantes, ita augebatur, ut liberum aeris uſum impediendo, faucesque comprimendo, vitæ fecerit finem.

Deſcriptio aquæ viridis hæc eſt: Recipe decem ova ad duritiem cocta, rejectisque teſtis contunde in mortario, affunde ſex vel plures uncias Spiritus vini optimi, & tantundem aquæ Nicotianæ herbæ, commixta invicem probe digerantur per aliquot dies, colentur poſtea, & addantur Capitis mortui Vitrioli unciæ duæ, Aluminis crudi, viridisque æris p. æ. uncia dimidia, digerantur rurſus per aliquod tempus, & ſupernatans liquor vocetur in uſum.

Pilulæ anethinæ conveniunt fere cum pilulis Cochiis majoribus uſitatis. Deſcriptio earum ſequens eſt: Recipe Diagrydii, Aloes ſocotrinæ optimæ, Pulpæ Colocynthidos p. æ. Unicam unam; cum ſufficienti quantitate Syrupi Roſarum ſolutivi, addendo Olei anethi parum, fiat Maſſa pilularis. Poteſt etiam ſine Syrupo cum ſolis oleis in debitam conſiſtentiam redigi.

OBS. XXIV.

VULNUS THORACEM PENETRANS SANATUM.

ANNO MDCLXXIX. die vigeſimo octavo Aprilis Capillamentorum concinnatori, Paulo Heinſchen/ gladio

 pe-

pectus transfoditur, unde ſtatim maxima ſangvinis profuſio, animique deliquium ſupervenerunt. Adactus erat oblique gladius per partem anticam lateris dextri ſub brachio, inter quintam & ſextam coſtam veram, tres digitos transverſos ſub papilla. Vulnus erat lati pollicis magnitudine. Penetraverat gladius, ut circumſtantiæ docebant, in ſiniſtrum usque latus; acies autem ejus fortaſſis obtuſior impegerat tantum in coſtam illius lateris, adeoque non tranſierat, ſed contuſione tumorem excitaverat. Magis etiam antice ſub ſterno plaga inflicta erat, & credendum eſt, reum a latere ſtetiſſe cum ictum intentavit. Fimbriæ quaſi quædam & laciniæ muſculorum intercoſtalium ſimul cum gladio fortaſſis denticulato extracto ex vulnere propendebat. Quoniam itaque pulmones, mediaſtinum, multaque vaſa ſangvinea læſa diſruptaque erant, vulnus non tantum periculi plenum, ſed a præſente Domino Medico lethale habitum fuit. Sanitatem tamen recuperavit homo, non tantum diligentis adhibitæ curationis, ſed etiam Naturæ eam adjuvantis beneficio.

Maxime neceſſarium eſt, in gladio vel alio inſtrumento acutiori, altiusque penetrante vulneratis ſitum, quantum poſſibile, in quo patiens fuit cum læderetur, apprime conſiderare. Notũ enim eſt, corpus noſtrum undiq; muſculis involutum eſſe, horumq; actiones diverſas, diverſam ſtructuram poſcere, deinde etiam pro vario corporis ſitu in varias figuras formasque abire muſculos. Si itaque ſitus vulnerati non attendatur a Chirurgo, quomodo viam inveniat in cavitates? quomodo fundum exploret? quomodo ſanguinem ex vaſis dilaceratis profuſum educat, imminentiaque avertat pericula? Hicque ſitus præprimis attendendus in extrahendis ſagittis, aliisque in corpus impactis eique inhærentibus, quorum extractio artificioſe & conſiderate peragi debet, ne plus detrimenti ab improvida manu Chirurgi quam a ferro aliisque vulneri inhærentibus inferatur.

OBS.

OBS. XXV.

VERTEBRARUM LUXATIO AD EXTERIORA LETHALIS.

TAm concinne, tamque multiplici apparatu Creator benigniſſimus vertebras conjunxit mutuisque articulationibus firmavit, ut omnes accurate has inſertiones conſiderantes rapiant in admirationem; tunica inſuper firma, communi Clariſſ. Vieuſſens *Nevrogr. L. II. cap. I.* dicta, interiorem earum ſuperficiem inveſtivit, ut flexibilitas conſervetur, ſimulque robur & firma connexio. Accidit tamen interdum, nutritionem impediri vel vitiari, & a viſciditate humorum, & eorum acredine; ſtatim tunc partes ſolidæ varie afficiuntur. Sic in infantibus, quorum ſolidum nondum ſatis ſtabile eſt, liquidi vitia ſtatim ſeſe in partibus firmis exſerunt; In concurſu tendinum & juncturis lympha peccans facile ſtagnat, & nodos debilitatesque membrorum inducit; in aliis partibus tumores excitat, & deformitates, ſpina dorſi vel ob tendinum ligamentorumque imbecillitatem, adeoque æquilibrium inter pondera & partes ſublatum, vel ob ſimplicem nutritionem inæqualem, oſſiumque infirmitatem, incurvatur, mutuusque vertebrarum reſpectus motusque tollitur. Qui graviſſimus affectus Rhachitis a Gliſſonio appellatur. Interdum ſitus corporis ſubito mutatus vel incommodus hanc proportionem vitiat, & ſubluxatio audit. Interdum vero externa vis ſpinam dorſi tanta atrocia infeſtat, ut pars ejus vel extrorſum vel introrſum cedere debeat, motusque corporis maximam partem inhibeatur. Luxationem iſtam ad interiora factam longe periculoſiorem experimur, quam eam, quæ ad exteriora fit; quod illi manus auxiliatrices difficulter ob loci inconvenientiam adhiberi poſſint, & viſcera præter modum anguſtentur & comprimantur. Id innuunt verba Hippocratis *Libro Vectarius inſcripto cap. XXI. §. I. ſqq.*

Quæ interiorem in partem fit vertebrarum perverſio, quod ad urinæ ſuppreſſionem & ſtuporem attinet, lethalis eſt. Quæ vero exteriorem in partem incurvantur, eorum plurima minus ſunt noxia, quam quæ concutiendo non exceſſerunt, quod illa in ſeſe morbi diſcrimen recipiant, hæc vero in magnam corporis partem gliſcant, & in præcipuis partibus eveniant. At vero ſi per externam majorem vel enormem violentiam occaſio detur ad luxationem vertebrarum ad exteriora, non vacat etiam periculo, & ipſa ſæpe mors morbi finem facit. Medulla enim ſpinalis, utut quadruplici integumento gaudeat, de quo Celeb. Vieuſſeus *c. l.* videatur, hac perverſione graviſſime anguſtatur, imo quandoque læditur, accedit; vaſa ſanguinea per tunicas ipſamque ſubſtantiam diſperſa hoc impetu rumpi, liquidumque effundere, quod extra vaſa conſtitutum brevi labem contrahit. Subſtantiæ enim medullæ ſpinalis cum cerebro, officiorumque ſimilitudo, affectiones ambarum partium eodem periculo inſignit. Optime rurſus diligentiſſimus Senex *Prædictorum Libro* II. *cap.* XXVI. *Medulla* inquit, *ſpinæ ſi ægrotarit, ſive ex lapſu, ſive ex alia aliqua cauſa, ſive ſua ſponte, homo & cruribus impotens fit, ut neque ſi tangatur percipiat, & ventre ac veſica, ut circa prima tempora, neque ſtercus neque urinam egerat niſi ad neceſſitatem. Cum autem vetuſtior factus fuerit morbus, non urgente homine & ſtercus prodit & urina. Moritur autem poſtea, non multo interpoſito tempore.* Quæ venerandi Viri verba egregie confirmat ſequens obſervatio.

Anno MDCLXXXVI. die duodecimo Julii, Laterarius, Vir provectæ ætatis ex plauſtro mergitum decidit & quinque vel ſex vertebras dorſi luxat, ut inſtar dimidii circuli exterius prominerent. Reponebantur quidem confeſtim, quanquam non ſine labore, in ſuum a me ordinem, & locus ſpleniis faſciisque firmabatur; Verum paralyſis crura ſtatim invaſerat, & veſica ſine ullo ſenſu lotium emittebat. Alvus in initio obſtructa erat, ſed clyſtere duobusque ſuppoſitoriis adhibitis reddebatur obſequens, & au-

cto

cto indies morbo, ſolutior fiebat, nec modum tenebat, quod feces ſimiliter ac urina ſine prævia mentis voluntate effluere fineret. In hoc miſerrimo ſtatu patiens usque ad decimum Augusti diem, ſemi vivus ſemique veluti mortuus verſatus eſt, quo exoptatiſſima mors totum occupavit corpus.

OBS. XXVI.

REPOSITIO SUBLUXATARUM VERTEBRARUM INFELICITER TENTATA.

STatim ac inter plebem aliosque conqueritur aliquis de doloribus dorſi, motus & incurvationis difficultate, præcordiorum anxietate, atque aliqua ſaltem adeſt elevati ponderis memoria, imo interdum etiam nulla, ſubluxationem vertebrarum crepant. Quaſi non aliæ cauſæ eandem ſenſationem, eundemque effectum producere queant; uti in principio febrium petechialium aliarumque malignarum interdum obſervamus. Et tunc ad elongationem corporis ſeu tractionem, (das Ziehen) ut vocant, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram: Hac tamen, etiamſi facta fuerit ſubluxatio, non ſemper reponi poſſunt vertebræ, quia ex detorſione partium motus humorum impeditur, & tumor exoritur, qui prius diſcutientibus, ſudoriferisque tollendus venit, antequam repoſitio locum habeat. Deinde etiam inconvenienter & ſine debita circumſpectione atque judicio hanc vertebrarum repoſitionem tentari communiter videas, unde plurima poſtmodum incommoda exſurgunt.

Anno MDCLXXIX menſe Januario de doloribus dorſi querelam inſtituit puerulus, & quoniam ſuſpicio Parentibus fuit, eum majori oneri commovendo vel geſtando, in audacula hac ætate, manus admoventem vires experiri voluiſſe, conſilio aliorum propter ſubluxationis cujusdam vertebrarum metum puerulum attollunt, corpus trahunt, & quaſſant. Ab eo autem ſtatim tempore

do-

dolor quidam in ſiniſtro latere inguinis gliſcit & tenellum infeſtat, cui brevi adjungitur tumor. Adhibentur remedia reſolventia, ſed omnem tumor diſcuſſionem pertinaciter reſpuit; quin potius de die in diem auctus magnum ſuper pudendis occupavit ſpatium. Tandem emollientibus & maturantibus adhibitis retinacula perfregit pus, & in maxima quantitate profluxit. Locus ubi pus latuit, ut poſtea apparebat, interſtitium erat inter peritonæum & muſculos abdominis. Puerulus autem ſanitatem recuperavit.

OBS. XXVII.

VULNUS VENTRICULI SANATUM.

ANno MDCLXXII. die vigeſimo ſecundo Julii hora noctis undecima ſtudioſus quidã, nomine Strimeſius gladio tereti, (einer Stilet-Klinge) in latere dextro vulneratur; Penetraverat gladius coſtæ veræ ſextæ cartilaginem duos transverſos digitos cum dimidio a cartilagine mucronata deorſum verſus perforando, & Ventriculum per transverſum, non illæſo hepate, ſauciando, usque ad regionem renis ſiniſtri. Quam læſionem ſymptomata præſentia & ſupervenientia confirmabant. I. enim magna ſangvinis copia ſtatim poſt inflictũ vulnus profuſa eſt. II. Supervenit vomitus cibi atque potus, &, bis per noctem, copioſi ſanguinis. III. die vigeſimo tertio unciæ ſex ſanguinis grumoſi per ſeceſſum ex corpore excretæ ſunt. IV. hac & ſequenti luce non tantum multum ſanguinis per urinam, ſed per alvum etiam ope Clyſteris quatuor cruoris unciæ exturbatæ ſunt. V. dolor in regione renis ſiniſtri tantus erat, ut ſine moleſtiſſima ſenſatione locus ille tangi non potuerit. Licet autem ſententiæ de his vulneribus ab Hippocrate *Aphoriſm. Sect.* VI. 18. & Celſo *Libr. V. cap.* XXVI. *p.* 283. latæ omnem de ſanitate recuperanda ſpem dejicere viderentur; indefeſſa tamen Ampliſſimi Röſeleri, noſtraque dili-

diligentia & cura, aſſiſtente divina gratia, factum eſt, ut ſymptomatibus periculoſiſſimis ceſſantibus æger cum ſanitate rediret in gratiam.

Habent alias id incommodi periculique teretes gladii, quod vulnera iis inflicta ob parvitatem ſtatim occludantur, & ſanguis in cavitates effuſus non commode effluere, vel progreſſus vulnerum difficulter inveniri queat: In præſenti tamen caſu ſalutem hominis eum non parum promoviſſe crediderim; quod primo parvum fecerit vulnus, deinde etiam parum ſanguinis in cavitatem abdominis fluere ex ventriculo potuerit. Hæc autem ſola non eſt cauſa ventriculi ſanati, ipſa ejus in diverſis locis læſio exitum modificat: Nec robur fibrarum omnibus unum eſt, afficiuntur hi graviter ex potu & cibo, qui in aliis vix ſenſationem excitat, uti in Rheni, Danubii, Tagi etſ. accolis, durioris & delicatioris vitæ hominibus quotidiana experientia confirmat. Quorundam ventriculi membranacei fere tantum ſunt, ingentisque ob diſtenſionem capacitatis, qualis adhuc in theatro anatomico Lugdunenſi in Batavis monſtratur; aliorum craſſiores ſunt, multaque carne veſtiti, quorum propterea vulnera melius ſanationem recipiunt. Concurrunt plures aliæ adhuc cauſæ, quas omnes hic recenſere nec licet, nec juvat.

OBS. XXIIX.

VULNUS VENTRICULI ALIARUMQUE PARTIUM LETHALE.

SI vero harum circumſtantiarum quædam abſint, & vulnera ventriculo infligantur majora, mors preſſo ſequitur pede. Quid enim aliud hic fiat, quam in cane, cui induſtrius Lowerus receptaculum chyli ungue velut in ſerram reſecto dilaceravit, quique intra paucos dies, ob deficientem nutritionem, expirans chyli duas libras in eo pectoris latere continuit? de quo ex-

perimento vid. Liber *de Corde* elegantiſſimus *cap. V. p.* 220. Graviſſima ſcilicet & perniciſſima ex Ventriculo valde læſo univerſo corpori imminet ruina. Viſcus enim eſt, omnibus membris proſpiciens, nutrimentaque præparans, cujus, ut cum graviſſimo Romanæ Hiſtoriæ Scriptore, Tito Livio *Lib. II. c. XXXII.* loquar, haud ſegne miniſterium eſt, qui non magis alitur, quam alit, reddens in omnes corporis partes hunc quo vivimus vigemusque diviſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. Si itaque cibum conficere nequit, isque, licet aſſumptus ſtatim per hiantia vulnera elabitur, ipſa membra, totumque corpus ad tabem veniunt, atque emoriuntur. Accedit, genus nervoſum hac ſolutione continui inſigniter lædi, indeque motus oriri convulſivos, & mentem adeò quovis modo corporis vinculis in hac turbatione ſeſe extricare conari. Tum etiam ſanguis unicus vitæ noſtræ theſaurus ob diſſectionem vaſorum profunditur, & ſimul cum contentis ventriculi eique ingeſtis in cavo abdominis quieſcens putredinoſam concipit fermentationem, eamque partibus adjacentibus ſolidis communicat. Ex quibus proinde nihil aliud quam certa totius œconomiæ animalis pernicies ſequi poteſt.

Anno MDCLXXIII. die decimo tertio Junii hora noctis decima Locum tenens quidam, Chriſtophorus de Pflug/ in ſiniſtro latere per cartilaginem nonæ & decimæ coſtæ gladio ictus, gravibus ſtatim ſymptomatibus, ſudore frigido, animi deliquiis, & maxima debilitate corripitur; Quæ eadem nocte repetitis vicibus recurrunt, & per aliquot dies continuant. Ex vulnere pollicem transverſum lato tres circiter ſanguinis unciæ fluebant. Penetraverat autem gladius, ut conſpicientes eum conjiciebamus, ſpithamæ longitudine in corpus, ipſumque ventriculum. Nihil quidem auxilii a prælaudato Experientiſſimo Röſelero & nobis quoad internorum & externorum remediorum uſum omittebatur, quo exoptata, ſi fata conceſſiſſent, reduceretur ſanitas; Spemque ejus aliquam

liquam usque in decimum octavum menſis & quintum morbi diem faciebat patientis ſtatus tolerabilior, ſextus tamen dies omnem dejecit animum, ſpemque decollavit. Oriebatur enim fluxus alvi, cui ſeſe aſſociabat icterus, tantamque edebat virium ſtragem, ut, cum nullæ amplius functiones & a corpore, & anima produci valerent, commercium quod eſt inter partes corporis mutuum, interque utramque hominis ſubſtantiam plane ceſſaverit.

Requiſiti itaque ab Ampliſſimo Magiſtratu urbano die vigeſimo hujus menſis corpus defuncti inſpicimus & aperimus. Os firmiter erat clauſum, cui tamen ſpumæ albeſcentis parum incumbebat, ex naribus aqua craſſiuſcula nigricans fœtida profluebat. Totum vero corpus colore ex flavo nigricante infectum intumuerat. Aperto abdomine ictus gladii manifeſtius apparuit, per coſtam enim ſpuriam ſecundam & tertiam poſtquam penetravit in corpus gladius, exteriorem inteſtini Coli tunicam læſerat, porro meſenterium diſſecans, & medio Ventriculo, ubi dorſum ſpectat, infixus, latumque pollicem a fundo per convexam lienis partem rurſus egrediens venam cavam pertuderat. Totum abdomen usque ad Ventriculum & regionem vulneris liquore ex nigro rubente, ſexque libras conficiente repletum erat, qui ex cibo & potu, potionibus vulnerariis, aliisque medicamentis per vulnus elapſis cumque ſanguine mixtis conſtabat. Circa veſicam, quæ omni fere urina exhauſta erat, in pelvi octo circiter unciæ ſanguinis coagulati collectæ erant. Inteſtina quodammodo lutea ad putredinem diſpoſita conſpiciebantur. Parum reſtabat in vena cava ſanguinis. Hepar permagnum & flaccidum, pancreas vero duplo majus erat, quam communiter eſſe ſolet. In omnibus igitur admirationem excitabat, hominem duplici vulnere lethali affectum per ſex dies vitam agere potuiſſe, cum ſola venæ cavæ diſſectio brevem in aliis faciat vivendi finem.

OBS. XXIX.

CONTUSIO ABDOMINIS LETHALIS.

NEque ignobilius exiſtit inteſtinorum munus quam ipſius Stomachi, in chylificationis, & chyli diſtributionis negotio. Hinc non inepte Ventriculus a quibusdam vocantur elongatus. Non tantū enim ejusdem ſunt cum ventriculo conſtitutionis ſeu ſubſtantiæ, ſed majorem etiam vaſorum habent apparatum. Ut proinde eorum vulnera & aliæ læſiones cum Ventriculi affectionibus pari fere ambulent paſſu, de quibus vid. Excellentiſſimus Bohn *de lethal. vuln. pag.* 350. *ſqq.* Nil dicam de ductibus pancreaticis & choledochis, quæ communiter inteſtinis inſeruntur. Habent præterea vaſa lactea; de quibus dubium eſt, an ex ventriculo etiam protendantur: Si res diſſectionum fide conſtat, nulla fortaſſis adſunt. Cæterum glandulis innumeris tam ſolitariis, quam gregariis (de quibus Celeb. Pechlinus & Peyerus) copioſum ſuppeditantibus lympham prædita ſunt; quæ non ſolum per planitiē inteſtinorū diſperguntur, ſed ipſas etiā occupant valvulas ab Ampliſſimo Kerkringio *Spicileg. Anat.* Obſ. XXXIX. conniventes appellatas, quemadmodum Celeberrimi Viri Brunnerus & Ruyſchius primi fortaſſis obſervarunt: *videatur utraque epiſtola anatom. problem. ſcil. XI. Lugudni Batav. & altera anno* MDCIC. *Hafniæ* ad Experientiſſimum Ruyſchium a me perſcripta. Inter rariora vero referri meretur, valvularum earum quandam, quæ alias circuli fere in modum inteſtinorum cavitatem ambiunt, ſecundum longitudinem exporrectam a laudato Ruyſchio obſervatam fuiſſe. *Theſaur. Anat. prim. Num.* VIII. *not. I. pag.* 19.

An vero inteſtina, quia ſtructuram cum Ventriculo pæne eandem obtinent, chylum conficiant, quod Scientiſſimus Galenus *de Uſ. Part. L.* IV. *cap.* XVII. & confidentius Fortunatus Plempius *Fund. med. Libr.* II. *c.* VIII. aliique affirmant, controvertitur. Si chylificationis negotium, qua patet, conſideremus, nullum eſt

du-

dubium, quin inteſtina ſymbolum conferant. Si vero id ad ſimplicem tantum chyli elaborationem reſtringatur, ventriculo potius ſoli is honor relinquendus videtur. Eſt enim chylus nihil aliud, quam alimentorum quinta veluti eſſentia, ſeu compreſſione & extractione ex alimentis prolectus utilis & maximam partem defecatus ſuccus: Quæ operatio in ventriculo, ipſa ejus conformatione id monſtrante, melius peragitur quam in inteſtinis, ea enim ut laud. Galenus *c. l.* præfatur, non coquendi chyli gratia, ſed continendi & diſtribuendi tantum ſunt conſtructa. Diluitur ſcilicet & attenuatur, ſeu a feculentiis admiſtis purgatur magis chylus in inteſtinis, præprimis duodeno, affluentibus ſuccis hepatis & pancreatis, & glandularum, ut oſcula vaſorum lacteorum commodius ſubire poſſit. Refert quidem Eruditiſſimus Olaus Borrichius *in Vind. Hermet. Ægypt. & Chym. Sapient. L. I. cap. X. pag.* 249. Leonis plumbo trajecti & poſtea diſſecti Colon & vicina inteſtina oſſibus antea deglutitis hinc inde referta fuiſſe. Et ſtatim addit: *Id quod novæ ſpeculationi feneſtram aperit. An & inteſtina leonum oſſa tandem digerunt? Nam per alvum ita dura excerni, vix aut obſervatum, aut credibile.* Verum enim vero his digerendis eo minus commodus locus, aut ſufficiens in ea agendi tempus eſſe videtur, quod ſolidiſſima eorum ſubſtantia ſit. Crediderim potius anxietates & motus convulſivos, qui in moribundis obſervantur, hæc etiam oſſa ex ventriculo exturbaſſe.

Anno MDCLIX. die vigeſimo ſexto Decembris Juſti Költſch, incolæ pagi Badewitz/ Viri ſexaginta annorum, induſio tantum induti, veſperi hora octava abdomẽ ab alio concutitur, & pedibus conculcatur, ut protinus male habuerit, vomuerit, lectumque tenuerit. Advocor itaque altera luce, ut homini graviter decumbenti medelam faciam. Ἄφωνον fere, poſtquam acceſſi, inveni ægrotum, inque extremo fere vitæ diſcrimine conſtitutum. Totum abdomen mirum in modum intumuerat, imo veluti veſica flatu dila-

tata expanſum conſpiciebatur. Nullibi tangi poterat, quin ſummis doloribus afficeretur, præprimis in dextro latere Ilii ; nullæ tamen vibices , aut veſtigia plagarum ſanguine ſuffuſa oculos incurrebant. Alvum hactenus obſtructam ſuppoſitorio protinus aperui, parvam ſanguinis quantitatem ex vena ſecta emiſi , (Galenus enim expreſſe vult, in omnibus contuſionibus quibuscunque etiam partibus eæ illatæ ſint, & licet æger non ſit plethoricus, venam apperiri) medicamenta præterea propinavi, quæ ſangvinis impediunt coagulationem, & ventrem remediis neceſſariis obtexi. His peractis, relicto pulvere reſolvente, domum memet rurſus contuli, ſimulque præcepi adſtantibus, ut altero mane ſtatum patientis nunciarent : Hi vero negligentiores relationem in tertium diem differunt ; tunc referebant, ſtatum ægroti nondum eſſe mutatum, & abdomen eodem modo adhuc diſtendi. Præter clyſterem itaque reſolventia & diſcutientia medicamenta & Syrupum quendam laxantem ordino ; quæ quidem lenimentum aliquod corpori afferre viſa ſunt, ut ipſe ægrotus confeſſus ſit, hæc ſi non accepiſſet remedia, ſe medium crepare debuiſſe ; vires tamen cum appetitu a primo morbi tempore dejectæ non redierunt, licet cor ſtomachumque confortantia diligenter adhiberentur. Die morbi ſexto deprehendi vocem cnm lingva volubiliore fortiorem, & corpus aliquo modo lenius, ſed veſicæ aqua ſemiplenæ in modum flaccidum atque dependens. Urina legitime excernebatur, alvusque reſpondebat, ter, quater, vel quinquies per diem & noctem ; referebant vero, materiam puto puri ſimilem excerni. Pulſus valde debilis, ſitis tamen vel febris non poterat obſervari. Ad virium itaque reſtaurationem juſcula præbere juſſi, interpoſitis diureticis, paucoque vino Franconico. Die nono nunciabant, ſingultu graviori vexari ægrotum ; Licet vero medicamentis nervinis huic ſymptomati occurrere niteremur, ea tamen æger adhibere non potuit, ſed

anxie-

anxietatibus præcordialibus magis auctis die morbi decimo debitum Naturæ perſolvit.

Die itaque ſeptimo Januarii anni MDCLX. juſſu magiſtratus corpus defuncti inſpexi & aperui. Exterior abdominis facies nihil fere a naturali mutata erat; cute vero diſſecta in dextro latere circa ſcrobiculum cordis contuſionis palma tegendæ in coſtis ſpuriis externos tantum muſculos intercoſtales occupantis nota obſervabatur. Teſticuli usque ad os pubis retracti erant. Diſſecto Peritonæo omentum apparebat ulceroſum, & quodammodo cruentum, atque in ſuperiore parte lateris dextri peritonæo veluti agglutinatum, inteſtina natabant quaſi in aqua flaveſcente, pure ubique mixta. In eodem latere Ilii, ubi perpetuus defunctum excruciaverat dolor, feces flaveſcentes jacebant, & vivus lumbricus. Inquirenti mihi unde hæc venerint, obtulit ſeſe foraminulum in inteſtino colo, magnitudine piſi, in circumferentia lividum, per quod preſſo inteſtino ſimiles prorumpebant feces, & lumbricus ſine dubio prorepſit. Præterea in inteſtinis paſſim ulcuſcula conſpiciebantur, & notæ cruore inſignitæ. Gyri & anfractus inteſtinorum tanquam viſco mutuo agglutinati erant, intusque ulcera partim piſorum, partim fabarum, imo articulorum digiti magnitudine concludebant, quæ diſrupta confectum plorabant pus. Similis materia etiam intus in Inteſtinis reperiebatur. Veſica fellis bilem ſuam profuderat, & luteo infecerat adjacentes partes; Hepar vero, Lien, Meſenterium, Renes, & Veſica urinaria bene ſeſe habebant. In vena cava & arteria magna ſub diaphragmate, ne gutta quidem ſangvinis obſervari poterat. Pectore aperto pulmo inflatus, ex livido nigricans, & in dextro latere firmiter coſtis adnatus erat. Sangvis in venis pulmonibusque ſtagnans tam ater erat, ut nihil ſupra eſſet.

OBS.

OBS. XXX.

CONTUSIO ABDOMINIS CURATA.

ANNO MDCLXI. Menſe Januario Uxor Andreæ Thielen, incolæ pagi Deʒ/ ab alia pedibus contunditur in inferiore parte abdominis. Mox decidens in terram pallet, domumque perducta præ Symptomatibus gravioribus & imbecillitate virium e lecto ſeſe continere nequivit: Urina ſine voluntate profluxit, & abdomen in regione hypogaſtrica in tumorem fuit elevatum. In auxilium vocatus, præter dicta, uterum prolapſum inter vulvæ labia, magnitudine Ovi, hærentem, inveni; Alvus etiam non reſpondebat; hunc itaque ſtatim ſuppoſitorio ex melle & Sale confecto officii admonui, poſtea pulvere contra caſum exhibito, abdomen Oleo chamomillæ, liliorum, & lumbricorum illevi, eique ſacculos folia Malvæ, Parietariæ, flores Chamomillæ, Melloti, Semina Lini, Fœni græci continentes, & in aqua ſimplici coctos ſæpius calide impoſui. Hiſce dolor ceſſit, & veſica urinaria nutibus Voluntatis obedivit. Uterum digitis primum, quoad fieri poterat, repoſui, poſtea vero admoto peſſo ſex transverſos digitos longo, pollicem craſſo medicamentis huic affectui conducentibus conſtante, tenuique linteo obducto, ut effluvia penetrare poſſent, & per tempus geſtato in loco eundem retinui. Illinebatur autem quotidie peſſus Ungvento quod conſtabat, ex Olei Myrtillorum, Roſarum rubratum, part. æq. Uncia media, pulveris corticis mali granati, & ſangvinis draconis p. æ. drachma integra, Ceræ ac terebinthinæ æqualibus partibus in ſufficiente quantitate invicem commixtis. Abdomen etiam cum regione lumbari & dorſali ſequenti decocto linteis excepto fovebatur; Quod conficiebatur ex Florum balauſtiorum, roſarum rubrarum, Foliorum quercus, rutæ p. æ. manipulo integro, Gallarum, Nucum Cupreſſi, p. æ. Uncia media. Coquebantur hæc in aqua chalibeata. Propinavi etiam vomi-

vomitorium ex infuſione vitri antimonii, & tandem alternis diebus drachmam integram pulveris Seminis paſtinacæ; quibus convaluiſſe viſa eſt. Die vero nono Martii ob acerbiſſimam iram in morbum relabitur, facies tota multis magnisque puſtulis flavis defœdata erat, cui cum mederer, referebat, vulvam pus in ſatis magna quantitate plorare; dedi itaque præter quædam interna remedia aquam purificantem & adſtringentem ſyringa injiciendam, qua adhibita integram recuperavit ſanitatem.

Facile ſuſcipit, tenaciterque retinet uterus illatas injurias, easque non raro in univerſum corpus effundit. Copioſiſſima enim habet vaſa ſanguinea, quæ a quacunque cauſa gravius affecta aut dilacerata innumeras pariunt moleſtias. Hinc inſignis Philoſophus Democritus *de Natur. Hom.* §. 73. *ſq.* apud Hippocratem, uterum vehemens malum, & infinitarum ærumnarum in muliere cauſam vocat. Rariſſimam uteri in hydrope ejus conſtitutionem ante aliquot annos communicavit nobis, atque pro humanitate ſua ipſum viſcus conſervatum oculis uſurpandum dedit Experientisſimus Dekkers. Cujus hiſtoriam publice referre non inconveniens hic videtur locus.

En ipſa Dekkeri verba: Gertruda Jacobs in platea vulgo de blavve Steegh XIIX. annos maritata ſemel tantum gravida, verum ante ſextum imprægnationis menſem abortum paſſa anno MDCXCI. ætatis ſuæ quadrageſimo primo circa autumnum pluribus febribus tertianis jam ſimplicibus jam duplicatis in hac civitate tum graſſantibus, tertiana duplici intermittente graviori corripitur; Verum quia ipſi res anguſta domi, non niſi vulgaria ac domeſtica in uſum vocavit remedia, rata, brevi ſe liberatum iri hoc morbo, quod lochia, & poſtea ipſi menſes naturaliter primo typum etiam ſervarent. Aſt præ mariti morbo graviori, imo, ut videbatur lethali, plurimum & continuo moeſta, ultimo fere Novembris die incidit in quartanam primo ſimplicem, tum duplicem, imo tandem triplicem, ſed intermittentem; a qua ſponte

N abs-

abſque adhibitis remediis circa ſolſtitium æſtivum liberata, tumorem inſtar pugni, immediate ſupra pubem, durum, ſed indolentem primo obſervavit, attamen flocci fecit, quod emmenia juſto tempore fluerent, imo quod ſe cæterum ſanam deprehenderet, ac omnia negotia domeſtica obiret. Verum tamen aliquot intra menſes nominatus ille tumor ita increvit, ut coacta fuerit Medici opem implorare, qui omnia accurate examinans, varia interne aperientia, incidentia, externaque plurima optimæ licet notæ incaſſum præſcripſit, imo quo plura hydrotica adhibita, eo major factus tumor, omnibus functionibus naturalibus rite ſe habentibus, & ipſis menſtruis tempeſtive & ſatis copioſe fluentibus: Unde tandem DEO & naturæ rem commiſit; donec ante biennium in tantam venter excrevit molem, ut omnes hydrope aſcite mulierem laborare non dubitarent. Nonnullis vero Medicis quamvis in praxi exercitatiſſimis hærebat non nihil aqua, unde ſcilicet præternaturalis ille abdominis tumor, & ex qua cauſa, & imprimis quo in loco, qua in parte deliteſceret tanta humoris quantitas: Quare jam hæc, jam illa, a Medicis præſcripta, nec non a circumforaneis avide ſatis miſera hæc aſſumſit remedia, ſed fruſtra. Hinc paracenteſin neceſſariā fore nonnulli arbitrabantur, quod omnia naturalia rite & ſecundum naturam procedere obſervarent. Alii vero noxiam omnino vel ſaltem nullum allaturam levamen ſuſpicabantur. Illi in cavo abdominis ſerum latitare, hi vero intra duplicaturam omenti, vel meſenterii, vel inter peritonæum & muſculos abdominis judicabant, quod nullam aquarum fluctuationem ex motu corporis obſervarent. Tot inter ſententiarum diſcrimina tandem me ante octodecim circiter menſes vocarunt. Omnibus accurate una cum D. Coſſon plurimisque Viris Medicis examinatis & rite perpenſis, paracenteſin non eſſe inſtituendam, ſed ſolum curam palliativam hic requiri certiſſime concludebam: Cauſam enim mali non latere in cavo abdominis, nec partibus jam nominatis, ſed vel in ovario

rio

rio alterutro, vel utrisque, vel tuberculis hinc inde lymphaticis præter naturam oppletis (quorum tuberculorum in pulmonibus aliisque partibus etiam meminit Hippocrates *L. de intern. aff. cap.* XXV. §. 9. quibus diſruptis mox hydropem pectoris vel alius partis neceſſario exoriri merito autumat idem) vel in ipſo utero certiſſime putantes, imprimis quod ſupra pubem de tumore inſtar pugni, tandemque in tantam molem accreſcente conqueſta, illæſis tamen cæteris functionibus naturalibus, & (quod inauditum pæne) ſingulis menſibus menſtrua paſſa fuerit, imo neque de hypochondriorum, nec præcordiorum tumore vel anxietate niſi ultimis vitæ menſibus (procul dubio præ ingenti & præternaturali abdominis diſtenſione) nec de ullo pedum vel crurum tumore oedematoſo matutino aut veſpertino tempore conquerebatur, nec de ſiti majori vel præternaturali. Ob dictas ergo rationes paracenteſin nullius fore utilitatis, ſtatuebam; Ægra hiſce acquieſcens obnixe rogabat, ut poſt mortem cadaver aperiretur præſentibus amicis. Tandem vigeſimo tertio Februarii anno MDCXCVII. per ſex circiter annos afflicta interiit. Poſtridie nonnulli hujus civitatis Medici & Studioſi nobiscum abdomen hinc inde diſruptionem præ nimia diſtenſione minans, nec tamen valde emaciatum cadaver, nec ullum partium reliquarum tumorem oedematoſum comitem, & in immenſam molem ad mammas usque ventrem diſtentum viderunt, craſſitie duarum ulnarum cum dimidia, id eſt, vaſis quadraginta octo pæne ſtoparum Hollandicarum. Infra umblicum ergo in latere dextro duobus in locis paracenteſis inſtituta fuit, unde materia non nihil cruenta ſed lenteſcens, tenax, & veluti oleoſa pinguis ſapore ſubſalſa effluxit. In latere oppoſito itidem apertione facta, ut eo citius lymphæ major copia efflueret, non niſi minor lymphæ, ſed magis limpidæ, nullo cruore tinctæ copia, proprio in ſacculo ſeu capſula peculiari contentæ profluxit; tandem abdomen a ſuperiore parte aperiendum fuit, lymphaque ſpisſior capſula quadam exhaurienda. Eo

 aper-

aperto muſculorum fibræ carneæ præ nimia illa diſtenſione vix obſervabantur, omnia tamen inteſtina illæſa naturaliter & bene erant conſtituta, nullo excepto, niſi quod renes paulo flaccidiores, & hepar peritonæo ſatis arcte accretum eſſet. Verum ne guttulam quidem lymphæ in abdominis cavitate latentis, ſed in propria membrana vel utre contentæ viderunt adſtantes; verum hæc membrana hujus utris majoris & præternaturalis exterior ubique in latere dextro fibris plurimis, imo multo arctius quam in ſiniſtro latere peritonæo adhærens viſui ſe offerebat; e cujus utris cavitate dictæ lymphæ copia impleta ad ſeptem majores urnas aquæ depromſimus. Tandem totam hanc membranam cum annexa vagina e corpore exciſſam ſequenti die in ædibus noſtris accuratiori & ulteriori examini coram plurimis Medicis, D. Coſſon, D. van Ryp, & aliis ſubjecimus, & primo vaginam ſatis mollem nulla labe infectam, ſed prope illam abſciſſionem eandem vaginam omnino verſus uterum coalitam & cartilagineam invenimus, ita ut nullus licet tenuiſſimus admitteretur ſtylus, verum ante & prope vaginæ coalitum in ſiniſtro ejus latere foramen exiguum cingulo rotundo inſtar muſculi denſioris vel pylori præditum invenimus, per quod tubuli beneficio inflatione facta protinus omnia vaſa ſanguinea valvulis quibusdam donata, & per univerſi hujus corporis circumferentiam, & internam ſubſtantiam diſperſa, nitidiſſime ſeſe viſui offerebant, imprimis tamen in latere corporis hujus ſiniſtro, ubi peritonæo non adeo adhæſerat. Firmiter perſuaſi erant omnes docti, menſtrua per hoc foramen cum omnibus vaſis ſanguineis commercium habens paſſam fuiſſe mortuam. Interior membrana, in qua latex ille cruentus lymphaticus continebatur, glabra glutinoſo latice ſubflavo referta conſpiciebatur. Plurimis hydatidibus & condylomatibus minoribus, majoribus, variæ & diverſæ figuræ & conſiſtentiæ ſcirrhoſis ſcilicet & inæqualibus, præprimis in latere ſiniſtro, non vero in dextro, quod illis pæne carebat, præditam invenimus interio-

rio-

riorem illam membranam; hiſce hydatidibus & condylomatibus diſſectis lympha cruenta tenuis, glutinis pellucidi inſtar effluxit, nunc magis opaci & ſpiſſioris, ex aliis inſtar mellis, jam lardi tenuioris inſtar, imo ſcatebant interne omnia illa tubercula vaſis innumeris mire inter ſe contortis. Tandem, præſertim corpus majus, inæquale valde, tactu ſcirrhoſum, immediate poſt coalitam vaginam ſupra pubem uterum referens, imo eo ipſo loco, ubi ante ſex circiter annos de tumore præternaturali inſtar pugni primo fuerat conqueſta, examini quoque ſubjecimus, quod corpus ab oſſe nonnihil compreſſum in ſuperiore parte phlegmone & ſanguine hinc inde nonnihil extravaſato infectum oculis ſeſe obtulit; mox plurimi corpus eſſe uteri ſuſpicabantur, valde ſcirrhoſum, verum diſſectum materiam meliceridis inſtar imo ejusdem coloris cum cæteris tuberculis & innumeris vaſculis ſcatens ac fibris invenimus nulla cavitate donatum: A latere magis ſiniſtro majus quoque tuberculum plurimis minoribus diverſæ figuræ & coloris hydatidibus præter naturam induratis corporibus cohærens imo ſcatens vidimus, inciſo eo mellis quaſi quædam ſubſtantia effluxit, attamen tenuior, & interiores partes dictis vaſis innumeris egregie ſeſe exhibuerunt.

OBS. XXXI.

PROFUSIO INTESTINORUM EX ABDOMINE LETHALIS.

AN vulnera quædam futura ſint lethalia, an vero minime, non certa ſemper poſſunt accipi vel dari ſigna. Quædam equidem ſanitatis aut mortis criterium ſtatim habent: Quædam vero nos tenent dubios & ſunt ancipitia, ut quid de vita & morte affirmandum ſit ignoremus, exitu ſaltem, dum nihil interea in curatione omittit Medicus vel Chirurgus, rem conficiente. Blandiuntur ſcilicet interdum quædam vulnera, ut

ut gravia, & tamen interimunt. Quædam vero mortis terrorem ſtatim incutiunt, & nihilominus ſanantur. Adeoque inter fortuita aliquando hæc quaſi referenda veniunt. Conf. Job von Meekren. Obſ. Chir. Med. cap. XXVII. videlicet θεῖόν τι in vulneribus etiam agnoſcere oportet: De quo Hippocrates in Principio Libri Prænotionum. Hæc occaſione aliquot exemplorum conſiderans Ambroſius Pareus *Chirurg. L. IX. c. IX. p.* 399. Cauſam ejus rei primario in DEUM hominis omniumque creaturarum autorem & productorem non tantum, ſed & conſervatorem; Secundario autem in temperamentorum varietatem & conditionem rejicit. Et quidem recte, nam ut Iapis apud Virgilium *Æneid. L.* XII. *verſ.* 426-428. citam inſperatamque opem ferens exclamat;

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt, neque te, Ænea, mea dextera ſervat,
Major agit DEus, atque opera ad majora remittit.

Obeunt e contrario vulnerati interdum non tantum ob læſionem partium corporis ſeu viſcerum principalium, ſed etiam quando plures minus principales læduntur. vid. Celeberr. Ammanni *Medic. Crit. Caſ.* XLIII. *p.* 231. tumque anceps eſt prognoſis. Quid dicamus de lethalitate ex læſione cum oſſibus humanis orta? Tradit ſcilicet Culejus, Guajanæ incolas nunquam cadavera mortuorum ſepelire, ſed Soli exponere, ut putreſcant, illosque ipſos cuſpides haſtis ex oſſibus cadaverum præfigere, & vulnera iis inflicta, niſi intra ſeptem dies curentur, lethalia eſſe. Vid. *Sylloge variorum itinerum, in Act. Erudit. publ. Lipſ. anno MDCC. menſ. Octobr. p.* 444. Alia inſtrumenta quibus vulnera illata non tantum periculoſiſſima, ſed etiam lethalia fiunt, recenſet Theophraſtus Paracelſus *Chirurg. magn. Lib. I. Tract. I. cap.* VIII. Inter alia de vitro hæc pronunciat: Das Glaß an ihm

ſelbſt

ſelbſt iſt ein Gifft/ ſo ſeine Stücke in der Wunde nicht blei‐ben/ ſo mag es nicht vergifften. So es aber bleibt / macht es eine harte Vergifftung. Quæ quidem non ita accipienda eſſe crediderim, ac ſi venenum lateret in vitro, acies potius ejus venenum vitri dici meretur. Ante aliquot annos in tumultu quodam læditur alicui manus parvo vulnere vitro injecto, ita quidem, ut minimum ejus ramentum forte relinqueretur in plaga ; magna protinus ſequitur ſangvinis profuſio nullis remediis coercenda, tandem plebejus quidam cochleam nigram in aquis facile reperiendam imponit vulneri, hæc ramentum elevando, ſuaque fortaſſis viſciditate, hæmorrhagiam repreſſit, quæ ob magnitudinem lipothymias repetitas jam concitaverat. Alia occurrunt quæ ancipitem reddunt deliberationem ; & dubium promittunt exitum, nunc lætum nunc triſtem. *De vita itaque*, uti eſt apud Ammianum Marcellinum, *& ſpiritu hominis laturum ſententiam diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio, ubi irrevocabile factum eſt, agitari.*

Anno MDCXXXVII. Stetini miles noctu agens excubias in vallo, ſomnoque obrutus, decidit a munimento caſtrenſi, quod Loricam vocant, & cadendo impingit abdomen in palum, (eine palliſade) cujus acies ferro obducta erat, atque abdomen graviſſime vulnerat & dilacerat ; ita quidem, ut acies paulo ſub umbilico penetraverit in illud. Liberat autem ſeſe ſtatim miles a palo, & loricam rurſus aſcendit : Inter aſcendendum magna pars Inteſtinorum in caligas prolabitur ex corpore. Ipſe tamen nulli ex ſodalibus, quid ſibi acciderit, aperit, ſed ſtatim in communi militum diverſorio ſeſe componit ad ſomnum. Spiritibus fortaſſis animalibus ſomno antecedente & caſu repentino etſ. in anguſtias quaſi redactis. Cum dies illuceſceret, conſpiciunt milites profuſum ſangvinem, jacentemque ægrum e ſomno excitant cauſam ex eo ſciſcitaturi ; quam cum reſciviſſent, noſtram in hoc negotio implorant opem. Aderamus ſtatim. Veſtimenta remo-

mo-

moventes, conſpicimus inteſtina profuſa, & circa corpus pendentia & jacentia. Frigida fere erant omnia, & flatibus valde diſtenta. Hinc lacte cum aniſo calefacto eadem fovemus, & vulnus reddimus amplius, quoniam alias in corpus non potuiſſent rurſus intrudi ob diſtenſionem interanea. Intruſis poſtea omnibus, abdomen, quantum poteramus, vino calido mulcemus & calefacimus. Dum hæc aguntur & vulnus conſuitur, vegeti & fortis animi erat æger, ſermo etiam intrepidus, cumque interrogaretur, quomodo valeret, reſpondet: Satis bene equidem, rem tamen veſtram expedite abſolvite. Vix autem verba hæc prolocutus erat, cum fatis cederet.

OBS. XXXII.

INTESTINORUM PROFUSIO, EORUMQVE ABSCISSIO SINE DETRIMENTO ÆGRI.

MEliorem e contrario exitum habuit læſio abdominis Juveni dolone illata Vilnæ, urbe primaria Lithuaniæ, anno MDCXXXVIII. Cum enim per aperturam iſtam inteſtina ſimiliter profunderentur, nec tantum refriguiſſent, ſed etiam livido colore & labe infici inciperent, non conſultum duximus, ratione & aliorum conſenſu, qui ſimul aderant, firmati, hæc inteſtina immittere rurſus cavitati abdominis, cum totalis corruptio & ſphacelus jam tum incipiens reliquas ſimul perdidiſſet partes, & vitæ certum feciſſet finem. Ideoque anceps potius, quam nullum adhibere voluimus remedium: Inteſtina propendentia, in quantum corrupta erant, reſecuimus; extremitates vero cum vulneris abdominis labiis conjunximus, ut excrementis liber pateret exitus. Quod noſtrum votum & ſtudium indulgentiſſima Natura ita ſecundavit, ut perfecte coaluerint labia, & ſequenti tempore per aperturam iſtam feces fere continuo in peram coriaceam, quæ firmiter cor-

pori

pori adhærebat, effluerent & ejicerentur. Hacque ratione homo, magna parte inteſtinorum carens, & in mortis quaſi faucibus hærens, hæc pericula, haſque anguſtias feliciter eluctatus eſt, & ſanus poſtea vixit, quamvis ob ſorditiem miſere.

In ſimili fere infortunio conſtitutam vidi ante aliquot annos Lugduni in Batavis mulierem ſtipem oſtiatim petentem. Ex difficili partu, ut referebat, intumuit umbilicus, & aliis concurrentibus, inteſtinum ibidem loci diſruptum fuerat; ab eo autem tempore fecibus hic ſeſe exoneravit alvus, quas profundiore patina firmiter corpori alligata excipiebat. Non tantum autem ſordidum ſed horridum etiam erat, labia aperturæ quadantenus projecta, & circum fœdo rubore cutem infectam, intueri. Confer. G. F. Hildani Cent. I. Obſ. LXXIV. Ubi Juvenis viginti annorum feces alvinas per foramen prope pudenda ejeciſſe fertur. Et Fernelius Patholog. L. VI. c. XIV. In exemplum producit Virum, cui ex accepto ventris vulnere præciſum inteſtinum prodiit, e quo alvi excrementum nondum ſolidum aut cohærens continenter emanavit annos quindecim, ea via intercepta quæ in anum ducebat. vid. Stalp. van der Wiel Obſ. rar. Cent. poſt: Obſ. XXV.

OBS. XXXIII.

ARSENICI DEVORATIO.

ANno MDCLII ultimo Decembri ancilla ab aliquot annis melancholica, & nunc ſcorti ſeu meretricii amoris inſimulata, febri cum anxietatibus & multo calore conjuncta corripitur, multumque vomit: Poſt tres vel quatuor dies ſurgit, & ex officina pharmaceutica pro ſex nummis Arſenicum emit, idq; [illegible] xvia contuſione fruſtillatim devorat. Ab eo tempore [illegible] in immenſum recruduit & auctus eſt. Dominus, cui ſerviebat, hæc reſciſcens, exprobrat facinus, quod a ſe commiſſum ancilla præfracte negavit, & minis tandem, cum remedia

adhibere conſtantisſime recuſaret, Mithridatii parum ut aſſumeret eandem adegit. Verum enim vero nullum effectum hoc quicquid fuit præſtare potuit, & ancilla ſexta poſt hauſtum Arſenicum hora in vita eſſe deſiit.

Die itaque quarto poſt mortem, primo ſcilicet Januarii anni MDCLIII. juſſu Sereniſſimi noſtri Principis, Patris Patriæ, in præſentia D. D. Magiri corpus defunctæ aperui. Externas autem quod primo concernit partes, labia magis nunc rutilabant quam in vita. Circa collum, & præcipue regionem Renum, item in dorſo permultæ erant maculæ rubræ. Ungues manuum aquili ſeu badii coloris. Thorace poſtea aperto pericardium aqua ſublutea fere plenum reperiebatur. Cor & vaſa ſanguinea in iſta regione ſanguine nigro fluido repleta erant. Pulmo nigricans ſanguinem ejusdem coloris inciſus profundebat. Diſſecto abdomine hepar ſanum & veſica fellea bile turgida inventa, ventriculum & epiploon intenſiſſime colore flavo tinxerat. Ventriculus e corpore exemtus exterius quidem nihil, quod præter naturam eſſet, viſui obtulit, per longitudinem vero inciſus magnam vim hauſti liquoris cum non exigua copia granulorum Arſenici, ſeminis cannabini magnitudine, exhibebat concluſam. Interior ejus ſuperficies maculis rubris notata erat, non tamen ita confertim, ac quidem noſtra erat opinio. Verſus inferius vero ventriculi orificium maculæ quædam conſpiciebantur nigræ ſed neque eſchara ſimul aderat, neque foramina alias reperiunda. Uterus cum ſuis vaſis ſine ulla labe a nobis tribusque nutricibus deprehenſus, ut crimine ſcorti & imprægnationis abſolveretur.

Venenum græce Φάρμακον vocem eſſe mediæ ſignificationis, ut nunc in bonam, nunc in malam adhibeatur [illegible] Gajus *Libr.* II. *de verb. ſignif.* ita refert: *Id quod nos vene*[illegible] *artem, pellamus, Græci Φάρμακον dicunt, & apud illos tam medicamenta, quam quæ nocent, hoc nomine continentur.* Probat illud ſequenti

ti Homeri verſu, qui eſt in Odyſſ. ducentiſſimus & trigeſimus. φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. h. e. Venena (Pharmaca) multa quidem bona (ſalubria) mixta, multa autem mala. Hinc Autores volunt, eum qui venenum, Græce φάρμακον dicit, adjicere debere, utrum bonum an malum intelligat. vid. hæc allegantem Briſſonium *Lexic. Jur. ſ. de Verb. ſignif. ſub voce Medicamentum & Venenum.* φάρμακον autem ſine ulla additione Græcis in bonam partem etiam ſumi, apud Hippocratem *de Loc. in Hom:* *cap.* LV. legere eſt, quod incipit: *Medicamenta ſunt omnia, quæ præſentem ſtatum transmovent*, ubi in textu Græco exprimitur ita: πάντα φάρμακά εἰσι τὰ μετακινέοντα τὸ πονηρόν. quod ſonat: Omnia Pharmaca ſunt dimoventia malum. Bonum autem virus, & bonum venenum antiquitus dictum fuiſſe, teſtis eſt Celebris Grammaticus Servius in notis ad verſum LVIII. & CXXIX. Libri I. Georg. Virgilii. Frequentius tamen jam olim de malo uſurpatam veneni vocem, & hodie omnino non dici venenum niſi de malo idem notat Briſſonius c. l.

Obſervandum tamen venit, venena in genere ut plurimum reſpectiva eſſe, quædam ſcilicet aliis inimiciſſima, ab aliis ſine ulla alteratione uſurpari. Hinc J. Faber Lynceus in expoſitione in nomina & imagines animalium novæ Hiſpaniæ inquit: *In hanc devenerim ſententiam, venenum abſolute nullum dari, ſed relatione ſolummodo habita ad obiectum, &c.* Et Aul. Gellius *Noct. Att.* L. XVII. *c.* XVI. *Anates*, ait, *Ponticæ earumque ſanguis venenis potenter reſiſtit, conſuetudinem ſcilicet in homine gignit innoxie venena ſumendi, quoniam anates hæ edendis vulgo venenis victitare dicuntur.* Hinc in antidotis harum anatum ſanguis primas olim tulit, eratque Mithridatis Regis inventum, ut Mundius tradit *L. de Aer. vital. de Zoophag. cap.* V. p. 216. Hoc reſpectu ſaluberrima medicamenta, & alimenta, ob idyoſincraſiam, vel alias circumſtantias aliquibus hominibus ſunt vel fiunt quaſi venena. Sic accepimus a Viro Amiciſſimo a cinnabari non legitime trita diriſſi-

mas ortas eſſe convulſiones. Moſchus & Ambra in fæminis quibusdam quantas non excitant paſſiones hyſtericas & alias. Neque præter inſtitutum ſit, ὡς ἐν παρέργῳ eam mulierem producere, quæ ex roſarum effluviis oculorum ruborem & tumorem aliqualem incurrebat, cedentem rurſus aquæ roſarum oculis impoſitæ. Doctiſſimus Heurnius quoties raphanum vel piper comedit ilico in atrociſſimum colicum dolorem tractus eſt, uti refert in Comm. in Aphoriſm. Hippocratis Sect. I. p. 9. De lactis, caſei, etſ. averſatione & malo effectu vid. Schookii Diſſ. de Averſ. caſei. Purgantia noſtram opinionem magis confirmant. Fateor ingenue difficile eſſe, & magnam deliberationem animi requirere, homini cujus conſtitutio corporis nondum ſatis nota eſt, purgans remedium vel vomitorium præſcribere, cum leviora ſæpe quos robuſtos judicares tantum non conficiant, fortia vero delicatæ texturæ, uti apparent, homines fere non moveant. Videmus tamen nullum medicamentum tam ſæpe, & ſine judicio aut diſcrimine facto adhiberi, & ab illotis quorundam manibus quibusvis porrigi. Pertinet itaque huc mala medicamentorum, injuſtoque tempore applicatio.

Meminimus hac ratione in magnum periculum ante quinque circiter annos præcipitatam eſſe mulierem in civitate quadam celebri. Non alienum videtur totam rem enarrare: Fœminæ prænobili ſcorbuto & paſſionibus hyſtericis obnoxiæ, triginta aliquot annorum, Vir quidam Medicus præſcribit pilulas purgantes, quarum ingrediens ſimul conſtituerunt flores antimonii, tredecim quarto quoque die ſumendas, præfatus leniter iisdem ſubductum iri alvum. Cum primam doſin Matrona laudatiſſima eo tempore ſumſiſſet quo menſes inſtabant, per totam diem & noctem obſtructa fuit alvus; altero vero mane ſex vel ſeptem ſedes cum maximis torminibus ſuperveniunt. Has ſequitur rurſus obſtructio alvi per duas noctes unamque diem: Fæmina proprio conſilio clyſterem ſibi applicari jubet, qui ſepties rurſus mo-

vit

vit alvum, ſed etiam cum magnis doloribus, fecibus excretis, in quibus ſanguinis ſtriæ obſervatæ ſunt. Poſtea etiam cum anxietatibus & pertinaci obſtructione tormina continuarunt, ut fæmina majus timens periculum, Medicum alium, conſtitutionis ſuæ a longo tempore gnarum, advocaverit, qui materiam purgantis illius conſiderans, judicat multum adhuc ejus in Ventriculo & Inteſtinis hærere, adque exturbationem Rhabarbarum præbet: Inde ſepties mota alvus cum nulla tamen torminum remiſſione. Altero die propinat ſperma ceti cum oleo amygdalarum dulcium, quod duas ſedes procuravit, nondum tamen malum ſublatum fuit, quin potius circa noctem acrius inſtiterunt dolores: Pro reliquæ igitur materiæ eductione conſultum judicavit, infuſionem laxativam ex foliis Sennæ, Rhabarbaro & pauco ſale Tartari ſine ulla expreſſione exhibere. Inde vigeſies ſeceſſit alvus cum aliquali Symptomatum alleviatione. Poſtero tamen die recruduerunt vehementer, inſecutus etiam teneſmus cum frequenti dejectione. Dolores lancinantes, ut ipſa fatebatur ægra, inceperunt in Ventriculo, & per totum inteſtinorum canalem producti deſierunt in inferiori gutture, ſequente tum dejectione. Bezoartica terrea ſuccedente tempore cum paucis opiatis inteſtinos hos tumultus ſæpius repreſſerunt: Sine opiatis autem nihil effecerunt. Ex pulte poſtmodum farinacea veſperi aſſumta optime habuit ægra; dormivit enim, nec dejectionibus turbata eſt, pulvere tamen ſimul ſumſit. Per triginta ſex horas acceptiſſima quies fuit, tum vero de novo moleſtiam crearunt tormina. Sed & hæc paulo poſt ſopita ſunt, & alvus per diem atque noctem a dejectione ceſſans, poſtero tempore naturaliter feces bonæ notæ exturbavit, ita ut morbus ad declinationem tenderet. Ex nimia tamen quantitate pultis cum vino Rhenano & ſacharo vitellisque ovorum paratæ gravem incurrit recidivam cum vomitu. Hicque recens quaſi ignis medicamentis ſuppreſſus intervallo aliquot dierũ reſuſcitatus colica gravi, aliisque ſymptomatibus novam intentabat calami-

tatem. Sed & hæc flamma ſuffocata ſtatim eſt. Notandum, etiam, menſes a primo medicamento purgante conſtanter obſtructos manſiſſe. Ad ſanitatem, ut videbatur, rediens fæmina nobiliſſima concepit a Viro, & ſpatio quatuor menſium venter ſucceſſive intumuit, conjuncti tamen fuerunt copioſi flatus & ructus, ita ut multis veniret in opinionem, inflationem tantum eſſe non imprægnationem. Menſibus his elapſis venter detumuit, nullus fœtus motus obſervatus eſt, ut illi qui flatus cauſam ventris allegaverant, confirmari in ſua opinione viderentur: Pondus tamen circa ingvina ſenſit, non tamen ita male ſeſe habuit ut non potuerit egredi aut curru vehi. Quadraginta ſeptimanis elapſis menſes impetu quodam proruunt, per duos dies fluunt, tertio ceſſant, ita ternis vicibus alternat fluxus; nulla fere tum ſuſpicio de fœtu. Septimana autem una atque altera elapſa dolores partus ſenſit, & peperit infantem, quatuor, ut viſus eſt, menſium, cujus caput putredine fere corruptum fuit. Ad meliorem poſtea rediit ſanitatem. Mirum omnibus apparuit, quod de halitu fœtido nunquam conqueſta fuerit fæmina honeſtiſſima. De floribus antimonii Beati Borrichii vox eſt c. l. Libr. II. cap. I. p. 294. *Floribus & vitro antimonii uti, ſine ulteriore præparatione circumforaneorum eſt non Medicorum.* Confer. Foreſt. de Febr. Libr. VII. Obſ. VIII.

Sub hunc itaque cenſum veniunt latius quidem, & ſine diſcrimine fere tam alimenta quam medicamenta, horumque illegitima præparatio & applicatio, uti ſupra demonſtravimus. Strictius autem Opiata, eoque pertinentia huic Catologo poſſunt inſeri. Si vero proprie de Venenis loquamur, quo nomine præcipue mihi nunc veniunt corrodentia, ut Mercurius ſublimatus, præcipitatus, præcipue Arſenicum, etſ. quorum figuras, aliasque affectiones & mutuam diſcrepantiam in Curioſiſſima Meditatione de Mercurio dulci &c. exhibuit Doctisſimus Wagniz Amicus noſter ſingularis, reſpectum eum fere tolli crediderim, & omnibus

bus hominibus utplurimum funeſtum eſſe eorum uſum internum, niſi cito ſuccurratur, ſi modo id poſſibile ſit, ſemper tamen nocentiſſimnm.

De externo autem uſu tam ad vulnera, quam purificanda & maturanda metalla aliter omnino pronunciandum, cum ſuo uſu Mercurius præcipitatus & arſenicum ſeſe commendent. Quod vero multi in virtutibus in venenis κατ' ἐξοχὴν ſic dictis, nativis, latentibus pro uſu interno extricandis tam multam collocent operam, ſupervacuum, quod pace illorum dixerim, judico. Tam amplus eſt tutiorum proventus, & præſens copia, ut horum non indigeamus, quæ poſt ſummam licet adhibitam diligentiam pilos quidem, non animum mutarunt. Et non aliter videntur facere ac infantes, qui per negligenter conſtructas ſcalas & pulpita, aliasque periculoſas vias ad locum deſtinatum tendere amant, quo tutius & citius per planam pervenire viam potuiſſent. Ne autem hæc ſine teſtimonio dixiſſe videamur audiamus Excellentiſſimum Sperlingium *diſſ. de Arſenico* §. XVII. *Quocunque modo illud* [arſenicum] *præparetur & corrigatur, uſus ejus internus, non minus quam crudi arſenici, non eſt tutus, unde intus aſſumtum, ſi non ſemper venenum, ſemper tamen ſuſpectum eſt.* Et paulo poſt. *Quicquid tamen ſit, plurimi, ſi non omnes proceſſus penitus cicurare non poſſunt arſenicum, ſic ut illud ipſum omni venenoſitate exuant, tutumque medicamentum internum ex eo ſiſtant. Unde quia longe tutiora, & non cum periculo conjuncta hodie proſtant medicamenta, quid opus eſt, inventis frugibus, veſci glandibus?*

OBS. XXXIV.

CICUTA INCAUTIUS IN CIBUM ADHIBITA.

Inter Venena diverſi a corroſivis generis, & mitiora, referri meretur Cicuta; *cujus famam*, uti loquitur Doctiſſ. Jo. Bauhinus Hiſt. Plantar. Univerſ. Tom. III. L. XXVII. p. 177, *auxerunt*

runt Athenienſes, Philoſophorum non contemtores modo, verum etiam hoſtes, ſucco ejus ad mortem in publicis judiciis utentes, ut ſuo damno vel Socrates teſtari poteſt, quem ad cicutam hauriendam compulerunt. Hæc autem planta virulentiâ ſuâ reſpectu habito tam efficax non exiſtit ac reliqua proprie dicta Venena. Præterea enim quod ab animalibus quibusdam edatur, & in utile illis nutrimentum cedat, facilius etiam virus ejus cicurari poteſt. Docuit illud ſuo tempore Plinius *Hiſt. Nat. L. XXV. cap. XIII.* quando inquit :- *Sicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicuta vinum.* De variis lectionibus hujus loci vid. Bauhinus c. l. p. 178. Imo Cl. Rajus uſum ejus internum in febribus intermittentibus & malignis commendat : Et poſt fata etiam Celeberrimus Ettmullerus in Schroed. diluc. P. I. S. II. p. m. III. dicit : *Novi aliquem qui ſcirrhos Lienis & Hepatis per radicis Cicutæ drachmam integram propinatam ſe curaſſe aſſerit.* Fortaſſis autem de radice ſicca illud potius accipiendum eſt, quæ abſumto humido partem virus ſimul depoſuiſſe credenda eſt; quemadmodum ex Scriptoribus Rei herbariæ conſtat, radicem Zingiberis recentem vim habere laxandi alvum, ob humiditatem qua abundat, quam ſicca deponit, & humiditatem ipſam diſpellit & exſiccat. Illud equidem ex hiſce ſatis apparet, Vires Cicutæ non tam enormiter efficaces eſſe nec tam in ſolidas quam fluidas corporis humani agere partes, easque, ſi cito adhibeantur remedia non difficulter infringi. Interim Venenorum catalogo eximi non poſſe videtur Cicuta, quod vel incaute, vel cum conſilio adhibita graviſſima ſymptomata, ipſamque mortem inducat, ut præter Doctiſſimum Wepferum, Exc. Simon Pauli *digreſ. de febr. malign.* §. 2. p. 3. ſq. & Athenienſium mos in enecandis dammatis teſtimonium perhibent.

Ancilla quædam Dorothea Berents poſtquã anno MDCLXXXI. incidiſſet in morbum, in quo totum corpus intumuit, & circa condylum pedis interiorem ulcus ex propulſa quaſi materia exor-

tum

tum fuit, per ſeptem menſes eundem traxit; poſtea autem redeunte appetitu, non tantum faciei color vividior, ſed etiam animus hilarior factus eſt, vulnera cacoethica viſa coiverunt, ipſaque priſtinam, quantum ex actionibus ejus conjecturare licuit, recuperavit ſanitatem. Hæc anno MDCLXXXII ſervilia faciebat officia apud pileorum confectorem. Hujus uxor die vigeſimo quarto Februarii in foro radices petroſelini & paſtinacæ emit, inter quas una fuit cæteris grandior, interius cava & nigricans, quam tamen partem nigram exſcidit & abjecit. Nihil itaque mali metuens in fruſta cum reliquis hanc conſcindit radicem, & ſequenti die menſæ infert. Ipſa mulier, maritus, ſodales & hæc ancilla comedunt de appoſito ferculo; alium tamen ſaporem in majori radice quam in reliquis obſervant. Vix autem de menſa ſurrexerant, cum errorem agnoſcunt, cicutæ ſcilicet radicem reliquis admixtam fuiſſe, omnes enim, excepta ancilla, caput dolent, titubant, incompoſita loquuntur, mox circumcurſitant & inſaniunt. Hiſce autem ancilla tum quidem incolumis miniſtrat, & aceto bezoartico propinato cohibet malum, ut lectis impoſiti in ſomnum prolapſi ſint. Expergefacti poſt aliquod temporis ſpatium nihil amplius de morbo ſentiunt & integre valent. At die vigeſimo ſeptimo Februarii ancilla male habet, & ſequenti die ſuperveniente Epilepſia ut omnes referebant, moritur.

Die ſecundo Martii juſſu Magiſtratus in præſentia D. D. Walburgeri, Phyſici meritiſſimi, corpus luſtravimus & aperuimus. In dorſo, circa hypochondria, & collum vibices & maculæ ex obſcuro lividæ, forte ab epilepſia vel decubitu, conſpiciebantur. Ante os naſumq; materia ſpumoſa adhuc relicta erat, eodẽ modo ac Epilepſia aut Catarrho ſuffocativo mortuis videre eſt. Ad viſcera quod attinet, ventriculus naturaliter erat conſtitutus, hepar vero in lobo majori putredine aliqua infici cœptum, in altera parte pallidum, præter naturam quidem durum, attamen friabile erat. Lien prægnagnus. In corde aliquo modo flaccido paucum ſanguinis atri & ſpumoſi ſtagnabat.

Pulmones in dextro latere pleuræ adnati. Renes magni & atro itidem ſpumoſoque ſanguine repleti. Ex quibus equidem colligebatur, ob cachexiam, qua antea laboraverat ancilla, viſcera ita debilitata fuiſſe, ut Cicutæ virus eo facilius nocere, ſanguinem ad congelandum magis diſponere & catarrhum ſuffocativum inducere potuerit; In reliquis vero, qui eo cibo ſimul uſi ſunt, propter contrariam diſpoſitionem bonam, efficaciam ſuam perdiderit.

OBS. XXXV.

ANATOME FÆMINÆ EX TUMORE ET CANCRO UTERI EXULCERATO MORTUÆ, QUÆ FASCINATA CREDITA FUIT.

ITa quidem cum maxima generis humani parte comparatum eſt, ut ad extraordinarios ſtupeat caſus, & ſupernaturale quid ſubeſſe ſtatim ſuſpicetur vel credat; in inquiſitione rationum autem & modi fiendi ſubſiſtat. Cauſæ naturales, earumque effectus plures latuerunt, & nunc etiam latent. Imo ſcimus, Celeberrimi Galilæi a Galilæis ſententiam de Antipodibus tanquam impiam, & fidei catholicæ adverſam damnatam eſſe, cujus tamen veritatem poſteriora ſecula ſatis evicerunt. Si populo de incantationibus loquenti non ſtatim applaudas, vah, quantum non committis piaculum! Experientia tamen rationalis & Philoſophia confecit hactenus, pleraque de incantamentis prolata, eſſe vetularum deliramenta, & eruditiorum ſomnia, quæ Philoſophiæ peperit ignorantia, aut morbus inſolitus, aut ejus cauſarumque inſufficiens cognitio induxit, atque conſuetudo, lucrum, etſ. nutriverunt. Circa varias ut aniſi, ſeminis cannabis, aliorumque per vias urinarias excretiones, ipſamque diabetem nemo facile hiſce temporibus faſcinationis viribus quicquam adſcribit, licet rationum ſufficiens copia nondum ex Democriti puteo protracta ſit. In aliis tamen

rebus

rebus idem fieri non tam ſæpe obſervamus. Refert Clariſſimus Schrader *Demonſtrat. Phyſ. Vta p.* 22. ruſticam mulierem propter magicæ artis ſuſpicionem idcirco accuſatam eſſe, quod in foro Urbis Goslariæ butyrum vendidiſſet, cujus quædam fruſta in aqua ſponte fundum petierint: Eam vero hac ſuſpicione liberatam eſſe, demonſtrando, omnino fieri potuiſſe per naturales cauſas, ut pingue tale corpus ſale multo ſaturatum & rotundum in certis aquis naturaliter fundum petat. Flatuum vel convulſionum in corpore humano præſentia & impetus ſæpius animos in devia abripit: Interdum Vermes; interdum aliæ cauſæ hominibus imponunt. Et quis ſigna pathognomonica, quibus incantationes certiſſime evincantur hactenus protulit? Aut alia hic neceſſario conſideranda omni ſcrupulo liberavit? At enim vero ne quid nimis! Eo ipſo omnem incantationem penitus negare non præſumimus; judicium tamen, aut ſi mavis, cæcum aſſenſum de hiſtoriis recenſeri, narrari & publice decantari ſolitis ſuſpendere atque cohibere convenit, imo neceſſarium eſt, ne præcipitanter rem tanti momomenti affirmando veritati ejusque Autori vim inferamus. Cæterum quoniam totus fere regitur mundus opinionibus, iſtis ſeſe opponere e re ſemper non eſt. ζῶον πολιτικὸν definivit hominem Ariſtoteles, & Horatius dulce eſſe ſtatuit, deſipere in loco. Non poſſum quin Scientiſſimi Thomæ Bartholini verba ex *Cent.* III. *epiſt.* LX. *p.* 240. & 243. adſcribam: *Incantationi*, inquit, *parum fidere ſoleo. Neſcio tamen quomodo illi tantum tribuat mortalium credulitas, ut vel naturales effectus, vel ingenioſorum fraudes illi imputentur. Sed moribus ſeu opinionibus receptis hoc quicquid eſt, concedimus.* & poſtea: *Id ſcio, me parum credere, nec mihimet credere quanquam præſens viderem præſtigias. Quippe & qui ſolertiſſimi & acerrimi Philoſophorum fuerunt, ne iis quidem confidendum eſſe ajunt, quæ videmus. Igitur ubi rationes jacent, judicium ſilet, & ego melancholicorum figmentis hæc annumero.* Confer. Gaſſendus in *vita Peireskii L.* I. *p.* 11. & 12.

Anno MDCLXXIII die quinto Februarii requiſitus a Domino Juſtitiario diſtrictus Mœkern, ut in pago Talchau aperirem corpus Martæ Müllers Uxoris Joachimi Meſchers / die tertio menſis hujus defunctæ, die ſexto eo memet recepi. Totum ejus corpus ita emaciatum erat, ut ſceleto non eſſet diſſimile niſi quod cute tegeretur. Quoniam vero maritus, vicini, aliique multis, ut putabant, argumentis inducti ejus a longo tempore fuerant opinionis, ac ſi defuncta faſcinata fuiſſet, e re fore credidi, ſi ex adſtantibus & fæmina, quæ ei tempore morbi miniſtraverat, ſtatum ejus expiſcarer. Referebant itaque

I. Defunctam quinquaginta circiter nunc annorum, cum ſanitate frueretur, boni habitus & vegetam, atque in operibus ſuis expeditam fuiſſe, in primo matrimonio tres peperiſſe liberos, hoc vero præſens ſterile exſtitiſſe.

II. Ad morbum quod attinet, eam præterito anno circa feſtum Paſchatis magnam quantitatem farinæ dorſo impoſitam ex vico Mœkern usque ad pagum portaſſe; & ex hoc onere non tantum vertebras ſubluxatas, [habe ſich verbrochen und wehe gethan] ſed etiam tantam vim illatam eſſe corpori, ut menſium fluxus ſolito major ſtatim inceperit & continuando omne corporis robur ita infregerit, ut circa feſtum Joannis ejusdem anni lecto affigeretur. Ex quo tempore continuo conqueſta ſit de doloribus & inflationibus regionis hypogaſtricæ, circa umbilicum & præcipue matricem; & inde virum amplius pati nequiviſſe. Quod malum ut amoveret mulier, varia tam ab amicis, quam Medicis ordinata eam uſurpaſſe remedia, ſed ſine ullo fructu, cum dolores abdominis magis aucti ſint: Ultimo vetulam ex urina judicare voluiſſe, hepar & pulmones eſſe corruptos, & ægrotam locum lue infectum tranſiisſe. (ſey über eine böſe Stäte gegangen) Circa tempus diei Bartholomæi fluxum ſanguinis quidem cesſaſſe, ſed aliquo tempore poſt album durasſe, tandem vero usque ad vitæ finem purulentam & fœtidam materiam profluxisſe.

III. O-

III. Omnes confirmabant, durante hoc fluxu, tempore Michaelis abdomen ita intumuisſe, ut præ tumore ſplendorem ediderit: Huic porro ſeſe junxisſe murmura & borborygmos varioſque ſonos continuo affligentes. Dolores etiam non tantum in abdomine, ſed etiam in dorſo & lumbis tam atroces factos esſe, ut defuncta incurvata propterea fere fuerit. Perhibebant etiam, hypogaſtrii præ anxietatibus talem fuisſe pruritum, ac ſi urticis cæſum esſet. Licet autem ſuccedente tempore corpus detumuerit, inflationes tamen, murmura & borborygmos cum exquiſitisſimis doloribus perſtitisſe: Ex his igitur non tantum ægra, ſed etiam vicinæ collegerunt, morbum hunc esſe a faſcino; (præprimis cum mulierem quandam hujus criminis ſuſpectam haberent) & quidem animalcula viva in cavitate abdominis degentia hanc ludere tragœdiam, diverſisque editis ſonis geſticulari. Imo aderat quædam, quæ dicta ſe animalia manibus ſuis contrectaſſe affirmare non dubitabat aut erubeſcebat.

IV. Narrabant, alvum defunctæ per quatuor, quinque imo octo dies interdum obſtructam fuiſſe, ſique tandem ſoluta ſit, tria vel quatuor ſcybala magnitudine nucis avellanæ ſeceſſiſſe. Urinæ etiam parum excretum eſſe, imo per aliquot dies eam interdum ſubſtitiſſe, cum tamen omni mane duas heminas juſculi, & in prandio aliquid cibi pauciſſimum vero panis aſſumſerit. Quoniam autem nihilominus de die in diem magis emarcuiſſet, putaſſe ſe, animalia hæc alimenta conſumſiſſe, ut nihil in corporis nutrimentum ceſſerit: In eaque opinione ſe magis confirmatas eſſe, quod obſervaverint, ſi dulces leneſque cibos vel lacticinia aſſumſerit ægra, quietem temporariam conceſſam eſſe, quod animalia iis delectata fuerint; ſi vero acidos aut aromatibus conditos comederit, vel cereviſiam biberit, anxietates & tormina recruduiſſe, & mirum quantum increviſſe.

V. Poſtquam igitur, quæcunque etiam adhibita, nihil effeciſſent, & morbus quotidie nova ſumſiſſet incrementa, ægrotam conſu-

luiſſe Medicum, qui dixerit pulmonum, hepatis, itemque dorſi venas obſtructas eſſe, eamque ſcorbuto laborare; ordinaviſſe etiam eum medicamenta quæ tollerent morbum; cum autem & hæc incaſſum uſurparentur, opinionem de faſcinatione conceptam magis confirmatam eſſe. Cum quærerem, an defuncta conquesta fuerit de doloribus ſub coſtis nothis ſeu in hypochondriis, maritus & mulieres adſtantes negabant, eandem unquam inſtituiſſe querelam de hiſce partibus, ſed circa finem morbi anxietates præcordiales afflixiſſe demortuam.

VI. Tandem referebant, cruciatus & dolores, quos in hypogaſtrio, dorſo, & ultimo etiam in femore dextro, quod valde intumuerat, ſenſerit, fuisſe ineffabiles, donec tandem poſt triginta & unius ſeptimanæ miſeriam ſpiritum non invita Creatori ſuo reddiderit.

Poſtquam itaque morbi hiſtoriam hoc modo perdidiceram, corpus in præſentia laudati Domini Juſtitiarii & reliquarum perſonarum judicialium luſtravi & aperui, idque, ut ſequentia docebunt, inveni;

I. Corpus totum, uti in principio dictum eſt, emaciatum, abdomen intro ceſſerat, coſtæ e contrario reliquaque oſſa prominebant, dextrum femur tumidum erat.

II. Muſculos abdominis, cum illud aperiretur, plane extenuatos & epiploon conſumtum videbamus; in regione hypogaſtrica, circa oſſa pubis ingens tumor incurrebat oculos, quo loci etiam inteſtina purulenta quadam materia conſpurcata conſpiciebantur. Differebam vero hujus tumoris ſcrutinium in commodius tempus, & rimabar prius inteſtina. Nihil fere in illis reperiebatur humidi aut τȣ̃ γλισχρȣ̃, quemadmodum alias ſolet: Colon ea parte, qua attingit veſicam felleam, quatuor digitos transverſos intenſe flavi erat coloris, & multis ſcybalis duriſſimis majoribus, minoribusve repletum, qualia hinc inde in Inteſtinis tenuibus etiam reperiebantur.

III. Ven-

III. Ventriculus non erat magis quam duorum digitorum tranſverſorum capax, vacuus, & collapſus. In Meſenterio nihil fere conſpiciebatur amplius, quam multæ varie ſibi intertextæ arteriolæ & venæ ſangvine orbæ. Ligata itaque & abſciſſa debite inteſtina corpori exemi, & accuratius conſideravi, in quibus tamen nulla corruptio aut labes obſervari potuit.

IV. Hiſce remotis arteria magna cum emulgentibus ſeſe oculis obtulit albicans, nihil ſanguinis continens, vena autem cava quandam ejus portionem adhuc concludebat. Ne itaque ſangvis in ulteriori partium ſcrutamine impedimento eſſet, inciſa vena omnem emiſi, decem præter propter uncias exæquantem. Hepar etiam lien & pancreas corpore exemta naturalia & bona deprehenſa ſunt. Ren ſiniſter ſubſtantia, colore & magnitudine naturalis erat, dexter vero dimidia parte minor altero, cum diſſecaretur, excavatus & aqua repletus deprehendebatur.

V. Poſtquam omnia viſcera inferioris Ventris exemiſſem, ad tumoris prædicti examen me collaturus, obſervabam non tantum veſicam urinariam tres Urinæ uncias adhuc continentem a tumore iſto duro pelvim occupante loco ſuo depulſam, fundumque ejus aliquid lotii etiam concludentem ſupra oſſa pubis prominere; Sed etiam inteſtinum rectum e ſitu ſuo ad ſiniſtram partem corporis a nominato tumore inclinatum, & duriſſimis Scybalis ubique repletum. Hic itaque tumor omne ſpatium Uteri, & ſuper oſſa Ilii occupabat. Illud vero corpus, quod in dextro jacebat latere, in modum veſicæ expanſum erat, ex quo aperto duæ libræ fœtidi liquoris, craſſius ſerum lactis æmulantis, pure & moleculis durioribus, pulti farinæ triticeæ, caſei durioris & albuminis ovi condenſati ſimilibus (digitis tamen conterendis) mixti profluebant. Erant hæ moleculæ partim ovi gallinacei magnitudine, partim minores membranis durioribus connexæ. Ex hoc corpore ſive ſacco, uti poſt evacuationem apparebat, extendebatur cavitas ſeu ſinus prædicta materia repletus ſurſum ad

dextrum

dextrum ſpinæ dorſi latus usque ad diaphragma, & alius ſinus ſimilis deorſum in dextrum femur usque ad genu fere, qui ſine dubio dolorum & tumoris femoris cauſa exſtitit. Ortum vero deſcripta materia ducebat ex tumore præduro mox deſcribendo; Separabam itaque ab illo ſaccum iſtum cum ſuis ſinubus & removebam. Paucula ſubjecta caro, muſculusque pſoas lividus & quodammodo nigricans cum oſſibus ilii conſpiciebatur.

VI. Accingebam igitur me ad tumoris duri anatomen, qui, uti dictum, ſpatium pelvis, & planam ſuperficien oſſis ilii ſiniſtri replebat. Nihil aliud erat quam Uterus, qui in magnum & quaſi cancroſum ſcirrhum mutatus, fœtido pure, & multis moleculis durioribus, illi materiæ, quæ in tumore, Steatoma dicto, colligitur, plane ſimilibus & immixtis, usque ad aperturam in ſaccum præſcriptum, in quantum cavus erat, repletus reperiebatur. Cavitas autem tanta erat, quæ ovum gallinæ majuſculum capere potuiſſet, Materia vero alba, dura, quaſi lapidea, craſſo pure circumdata, eam referebat, quam celeberrimus Hildanus Cent. VI. Obſ. XXXIX. *Nucleum cancri* nominare ſolet. Exterior autem Uteri pars dura & albicans erat ſubſtantia, carni ſpongioſæ ſimilis, tres digitos transverſos ubique crasſa. Hanc duram ſubſtantiam tegebat tenuis membrana vaſis ſangvineis prædita, quæ a reliquo crasſo tumore ſeparari poterat. Cæterum corpus illud Uteri durum, crasſum & ſpongioſum disſectum totum videbatur poroſum; & quando illud manu fortiter comprimebam, ex omnibus poris lutea & purulenta materia pullulabat. Et hæc de ventre inferiori.

VII. Pectore aperto pulmones fuſci & ex livido nigricantes apparebant, magis tamen in dextro quam ſiniſtro latere. Cor valde parvum erat, & ſangvine penitus vacuum. Ex pulmone diſſecto materia ex luteo nigricans ſpumabat.

IIX. Neque viventia, neque mortua, quanta diligentia etiam omnes partes perquiſiverim, invenire potui animalia, neque alias

res

res quæ ad morbum, præter dicta, occaſionem dare potuiſſent.

Ex omnibus itaque his circumſtantiis nihil aliud colligere potui, (ſalvo tamen aliter ſentientium judicio) quam cancrum exulceratum in ſubſtantia Uteri defunctæ Martæ Müllers/ fuisſe. Quod etiam ad hunc affectum imoderatus menſium fluxus multum contribuat, dum ex ſangvinis hujus partibus craſſis, viſcidis & melancholicis primo Scirrhus, poſtea per incaleſcentiam aliasque præternaturales res Cancer, & quando hæc materia acrior & vehementior evadit, exulceratus Cancer in Utero exoriri poteſt, ex quamplurimis conſtat Scriptoribus.

OBS. XXXVI.

VULNUS ET ULCUS UTERI.

Copioſiſſimis referta eſt placenta uterina ſangvinis vaſis, a fœtu & ad eum progredientibus, ut nullam fere partem vel viſcus reperire liceat, cum quo non de copia certare poſſit: Cumque in gratiam fœtus hæc omnia a ſummo Creatore conformata ſint, varius huic parti a Scriptoribus attributus eſt uſus. Sangvinis confectioni eandem inſervire, ut alias hepar, Antiquorum fuit opinio, qui propterea eam hepar vocarunt Uterinum. Sed poſtquam hepati id officium non competere ab Harveo & Bartholino Anatomicis Celeberrimis clariſſime demonſtratum eſt; placenta etiam uterina hoc munere excidit. Alii veroſimiliori ratione pulmonum quaſi officium eam gerere, & materiam quandam pro vitali flamma ſuſtentanda hic ſeparari volunt. Ubi quidem de officio Pulmonum analogo nullam moverim controverſiam; ſed de ſingulari ſecretione hic celebranda nondum confecta res eſt, quemadmodum nec de pulmonibus illud ſufficienter a Scriptoribus probatum eſt. Illud autem fortaſſis ſtatuendum, ſangvinem tam copioſe huc conferri ut

alimenta ex corpore matris pluribus locis & in copia ſuſcipiantur, item ut mutuis compreſſionibus & coarctationibus vaſorum comminuatur & attenuetur magis ſangvis, quo ad fœtum poſtea revectus interſtitia ſeu porulos minimos partium promtius ſubeat, & nutritioni accretionique embryonis aptior commodiorque cum ſuis partibus fiat. In quo quidem negotio pulmonum vices gerere videtur, qui per omne tempus, quo in utero concluditur inter ſtercus & urinam homuncio, ob aëris defectum feriantur. Præterea vero communionis vaſorum maternorum & fœtus, humorumque eorum mutui fluxus conſervandi gratia conſtructa eſt ſpongioſa hæc ſubſtantia. Illa autem ſangvinis copia & ſtagnatio cauſa eſt, quod facile concretum iſtud ex variis cauſis corrumpatur, & putredine conficiatur. Cauſa etiam exiſtit moleſtiſſimi triſtiſſimique odoris, quem ſecundinæ Spiritus cum aliquali olei parte adhuc conjunctus de ſe latiſſime ſpargit, quo graviorem aut tetriorem nihil fortaſſis ex regno vegetabili, animali, aut minerali fovet.

Anno MDCXL. Goldswardæ, pago prope Urbem Oldenburg, Mulier Juvencula ſecundinam, poſt fætum enixum, retinuit in Utero, unde ex corruptione ejus graviſſimus exortus eſt morbus. Non multo autem tempore poſt, tumor in ingvine prope pudenda elevatur, in apoſtema tandem deſinens. Quod cum aperiretur, ipſe Uterus eo loci apparuit diſruptus & exulceratus; quod ſecundina firmius interiori ejus ſubſtantiæ hic adhæſerit. Putredinem ea jam dum conceperat, fœtidiſſimumque fundebat odorem: Extrahebatur itaque per aperturam, quæ ſecundum naturam per viam qua infans iverat excerni debuiſſet. Præter internum remediorum uſum injectiones poſtea inſtitutæ ſunt ad eluendas ſordes, & præcavendam ulteriorem putredinoſam labem, tum etiam vulnus conſolidandum. His continuato uſu effectum eſt, ut uterus conſolidaretur, & fæmina priſtinam adepta ſanita-

tem

tem decima poſt partum ſeptimana templum cum infante viſitaret.

OBS. XXXVII.

ALIUD UTERI ULCUS.

ANNO MDCXLV. cum caſtra in Galliis ſequeremur, Uxor Præfecti militum, hypochondriaca, difficili laboravit partu; & poſtea non profluxerunt lochia ſufficienti copia, unde per aliquod tempus male habuit: Tandem omnes dolores intus in utero figi videbantur, ita atroces in iſta regione fiebant. Febris continua tanquam præſentiſſimum ſymptoma ægrotam ſimul invadens, vires magis dejiciebat. Poſtquam aliquamdiu ita vixiſſet miſere, erupit malum, & Ulcus in utero ſeſe manifeſtavit; Profluebat materia muco vel albumini ovorum ſimilis, tenax. Nec tantum per vulvam excernebatur hæc colluvies, ſed per ipſam etiam anum, ut nullum eſſet dubium, quin inteſtinum rectum ab acredine humoris ſimul corroſum fuerit, cum præterea per unum locum liquores ope ſyringæ injecti, per alterum redirent. Sequentibus tamen remediis aſſiſtente divina gratia integram recuperavit ſanitatem; affectus Lienis diſparuit, & ſanguis menſtruus ſtato tempore debite per muliebria excretus eſt. Ordinavi primo Clyſterem bis de die ano pudendisque injiciendum, qui conſtabat ex decocto hordei, agrimoniæ, endiviæ, althææ totius & violarum, in cujus Colaturæ libra integra diſſolvebantur Mellis roſarum Unciæ duæ, & Sachari rubri uncia una. Poſtea alternis diebus ſequens decoctum uſurpavit, quod componebant Hordei integri pugilli tres, Radicum capparum drachmæ duæ, Radicum Graminis, Taraxici, Oxylapati p. æ. uncia integra, Herbarum cichorii, capillorum veneris, fumariæ, buglosſæ, borraginis & agrimoniæ p. æ. manipulus integer, Seminum Melonum & Citrulli p. æ. drachmæ tres, duo poma fragrantia in taleolos ſecta, Florum mali perſici, & ſummitatum Meliſſæ p.

 æ.

&. pugilli duo, Radicis liquiritiæ uncia media. Coquebantur hæc in aqua communi ad libræ unius cum dimidia remanentiam. Libræ liquoris expreſſi dimidiæ infundebantur foliorum Sennæ drachmæ tres, ſeminis fœniculi, & Cinamomi p. æ. ſcrupulus unus, Rhei electi ſcrupuli duo, Electuarii lenitivi uncia integra: Exprimebantur rurſus & colaturæ addebantur confectionis Hamech drachma integra, Syrupi roſarum ſolutivi & cichorii cum rhabatbaro p. æ. uncia media. Hujus decocti dimidium una doſi hauriebat. Altero poſt hujus uſum die ex vena baſilica brachii ſiniſtri quatuor uncias ſanguinis eduxi. Sequenti luce reliquam decocti doſin aſſumſit ægra, & quarto die venam ſaphenam in pede ſiniſtro aperui. Decocti ſuperioris reſiduo Syrupi pomorum compoſiti & cichorii ſimplicis æqualem quantitatem ſufficientem ad dulcedinem conciliandam cum Specierum diamargarit. frig. drachma integra addidi; quod horis veſpertinis quatuor doſibus hauſit fæmina, & tandem convaluit.

OBS. XXXIIX.

UTERI PROCIDENTIA.

Quanquam multi Scriptorum procidentiam Uteri negare contenderint, idque vitium ſoli vaginæ adſcripſerint, quæ relaxata propendens Autoribus hactenus impoſuerit; Celeberrimus tamen Ruyſchius & Stalpart van der Wiel, aliique ſufficienti experientia, Uterum prolabi poſſe, demonſtrarunt. Hoc equidem non diſſimulandum, rariſſime fieri, ut propter ſimplicem ligamentorum relaxationem, aperta & magna vi non accedente, ſede ſua exturbetur uterus, cum per multiplices connexiones aliis partibus cohæreat, quæ quod uno eodemque tempore ſimul tonum amittant, difficilius paulo conceptu eſt. Niſi in quibusdam Nervorum reſolutionibus & hydropicis ſerum abundans univerſalem quaſi atoniam interdum inducat. vid. Il-

lu-

luſtris Wedelii litteras ad Th. Bartholinum *Act. Hafn. Anno* MDCLXXIII p. 139. Quæ, & an violentæ externæ fuerint cauſæ procidentiarum Uteri, quas Ruyſchius *Obſ. Anat. Chirurg. VII. & IX*, & Stalpart van der Wiel *Cent. Prim. Obſ. LXIX.* recenſent, determinari non poteſt, cum cauſæ reticeantur. Si vero partus difficilis præcedat, ut in fæmina de qua Obſ. XXXIX, vel incauta aut ruſtica Obſtetricis manus ſecundinas non rite ſeparet, vel aliæ cauſæ vehementiores concurrant, alia res eſt, dum ligamenta non tantum præter modum extenduntur, ſed etiam plane diſrumpuntur, ut nullibi retentus aut connexus Uterus extrorſum cedat. Cæterum, an mulieri uterus exſcindi poſſit, ut vita non ſimul auferatur, merito dubitatur. Guilielmus quidem Fabricius Hildanus ex Avenzoare, Rouſſeto, & Bauhino probare nititur, Uterum non eſſe partem ad vitam ſimpliciter necaſſariam, ſed ſine eo mulieres vivere, Virisque concumbere poſſe *Epiſt. reſponſ. ad D. Döringium p. m.* 1168. In quam ſententiam, uterum ſcilicet ſine vitæ jactura poſſe exſcindi, etiam inclinare videtur Doctiſſimus Ruyſchius *Obſ. VII.* At enim vero dubii plena res eſt, imo ſatis fidis fortaſſis obſervationibus nondum probata. Uterus enim corporis pars eſt ad quam copioſiſſima vaſa ſangvinea abeunt, deinde cum multis partibus diverſis in locis connectitur per vaſa, ligamenta & membranas; quæ a corruptione ob loci incommoditatem præmuniri, aut ligari nequeunt, etſ. Unde mors citius vel tardius ingruit. Quod de liene exciſo, ſalvo manente animali, & caſtratione porcorum adferunt quidam, huc ob circumſtantiarum diſſimilitudinem trahi non commode poteſt. Aperte Experientiſſimus Barbette Chirurg. P. 1. c. VIII. p. m. 51. pronunciat; *Uterum ſine vitæ periculo poſſe exſcindi, quemadmodum multi Doctores ſcribere auſi fuerunt, perito anatomico intolerabile cenſetur.*

Anno MDCXLVII. Menſe Auguſto Viduæ propter ſubluxationem vertebrarum ſic dictam (Verbrechung) prægreſſam, U-

terus inverſus prolabitur, & longe inter crura propendet. Quia tamen in initio majorem inde non ſentit dolorem, negligit malum usque in undecimam ſeptimanam; qua nos accerſivit in auxilium. Induruerat atque intumuerat uterus in tantum, ut duos majores pugnos æquaret: Ob ſpatium etiam anguſtius inter tumorem & crura, partes, dum inceſſerat mulier, attritæ erant, & ob læſionem ſenſiliſſimæ, ut ideo obambulare amplius nequiverit. Cataplaſmata itaque emollientia ſtatim adhibui atque illinitiones, tamque diu cum iis continuavi, donec durities dicta cum tumore remitteret, & ſuperficialiter læſa cutis nova cuticula obduceretur Poſtea operam dedi, quo in ſuum locum convenienter reponerem Uterum prolapſum. Illud fiebat, dum a propendente inferiore parte incipiendo, eum invertebam non aliter ac anguſtam crumenam, & ſenſim eo usque intrudebam duobus digitis in corpus, quantum poſſibile erat. His ita peractis quietum decubitum in lecto complicatis cruribus, iisque etiam & lumbis parum elevatis imperavi: Quotidie autem decoctum ex adſtringentibus & vulnerariis conſtans hauſit, ſimileque per ſyringam utero injectum eſt. Cum vero poſt aliquot dies ſurgeret & obambularet, matrix rurſus in vulvam procubuit. Peſſum itaque intruſi vaginæ, quo impediretur prolapſus. Sed nec ille ſufficiens fuit retinendo utero, ut proinde neceſſarium fuerit ſubligaculum ex linteo craſſiori & denſiori lumbis applicare, cujus una extremitas in medio ad ſufficientem longitudinem fiſſa per fæminea tranſiens in dorſo alligata labia pudendi conjungeret, & peſſum firmiter retineret. Quod cum per aliquot ſeptimanas geſtaſſet, & remedia uſurpaſſet, integre tandem convaluit mulier.

OBS. XXXIX.
ANATOME FÆMINÆ STATIM POST PARTUM DEFVNCTÆ.

ANno MDCLIX. die duodecimo Januarii juſſu Sereniſſimi noſtri Principis in præſentia D. D. Nathanis Vogt uxo-

uxorem Mercatoris, Andreæ Laurentii, cultro anatomico ſubjecimus. Quadraginta aliquot erat annorum, antea uteri prolapſui obnoxia, & decem liberorum mater: Hæc ante paucos dies poſt difficillimo partu enixum infantem undecimum ſanum & vegetum ſtatim fatis ceſſerat. In ejus corpore notanda fuerunt ſequentia:

I. Vterus a fundo ad vaginam & extremum pudendum usque totus inverſus erat, & ad genua fere propendebat, eique ſecundinæ partim adhærebant. Interius hypogaſtrii & pelvis uteri ſpatium plane vacuum erat ob uterum excuſſum: Ligamenta lata, quæ ab Anatomicis alis veſpertilionum comparantur, abrupta in utroque latere jacebant, vaſa vero illorum illæſa erant.

II. Veſica urinaria ab umbilico, cui ope urachi connectitur, violenter ſeparata & collapſa, prope collum per transverſum in ſuperiore parte, ſiniſtroque latere late ſatis diſrupta erat.

III. Omentum a Ventriculo, cujus fundo connectitur, latam manum a liene usq; in anteriorem partem liberũ inter inteſtina complicatum conſpiciebatur. Oſſa pubis digiti auricularis latitudine ab invicem diſtabant.

IV. Vena cava, item Arteria magna, earumque rami etiam minores pallebant, & propter hæmorrhagiam graviſſimam uterinam (durch Abgang des gemeinen und Hertz-Geblühts) plane vacui erant. Vtut autem enumeratarum partium læſio graviſſima fuerit, hæc tamen ſanguinis jactura repentinæ mortis unica cauſa exſtitit.

Ex ſeparatione ſecundinarum ab interiori Uteri ſubſtantia neceſſario, ſi recte omnia procedant, ſanguinis fluxus oriri debet, cum vaſa mutuo partibus inſerta ſeparentur. Cognovit illud Hippocrates de Natura Pueri cap. XII. §. 12. ſqq. *Procedit*, ajens, *ſanguis velut a victima, ſi ſana eſt & ſana futura eſt mulier, & ſtatim congelatur. Si vero mulier ſana non eſt, neque ſana futura*

eſt,

eſt, purgatio paucior procedit, Dictorum veritatem confirmavit mulier ante duos fere annos hic pariens, triginta duorum circiter annorum cum enim in partu & poſt partum pauciſſimum ſanguinis excerneret, male protinus habuit, & hæmoptyſin poſtea paſſa in phthiſin tandem incidit ex eaque obiit. Modus autem ille loquendi, quo ſanguinem communem dicunt, & cordis, (gemein und Hertz-Geblüthe) mulierculis familiaris eſt; nullum autem fundamentum in ratione aut Anatomia habet; quoniam omnis ſanguis per cor circulatur, & mediantibus arteriis in univerſi corporis partes propellitur. Dicitur autem ſanguis communis, quem ordinario pleræque parientes profundunt, vocatur vero das Hertzgeblüthe/ quando eodem tempore in nimia profunditur copia, lypothymias inducit, coloreque a priori diſtinguitur. Vividioris enim eſt coloris rutilantis, & fluidior, cum alter obſcurior paulo ſit; notat itaque magnam ruptionem vaſorum ſanguineorum factam eſſe, quemadmodum ut plurimum in abortu experimur plus ſanguinis evacuari quam in partu naturali, quod placenta uterina in hoc ſponte quaſi ab utero ſolvatur, in iſto vero divellatur.

OBS. XL.

UTERUS IN PARTU DILACERATUS,

INter Miracula fere referri meretur, in partu Ciceronis matrem nullum dolorem paſſam eſſe, quemadmodum tradit Plutarch. in *Ciceron.* p. 547. Communiter enim ſæviſſimi dolores indivulſi ſunt comites. Miſerrima ſcilicet hoc paſſu fæminarum eſt conditio, ut quidam decies in acie ſtare facilius judicaverit quam ſemel parere: Hinc quando graviſſimæ anxietates & pericula in ſacra ſcriptura proponuntur, partus doloribus comparantur. Quis non concipiat conſtrictiones Uteri vehementes, & fœtus fortiorem motum, quæ partus cauſæ ſunt præcipuæ, angorem incutere maximum. Si anguſtiæ, per quas infans eluctari debet, conſideren-

derentur, vah! quanta vis infertur corpori, & quam atroces non debent non eſſe dolores! Omnia dilacerari & diffringi crederes. Quid putabimus fieri quando fœtus ſitum habet a naturali diverſum, & nihilominus egreſſum ex utero molitur? Et mox abdomine, mox dorſo, mox brachiis, mox pedibus præ foribus jacet? Cujus periculi deprecandi gratia duæ aræ quondam ſtatutæ ſunt Romæ, quarum una POSTVERSA nominata eſt, PRORSA altera, a recti, ut Varro voluit, perverſique partus & poteſtate & nomine A. Gellius *Noct. Attic.* L. XVI. c. XVI. Si vero contingat, fœtum jam mortuum eſſe, omnis labor ſoli relinquitur matri. Reſtant centum pericula ex monſtroſa conformatione fœtus, ejusque variis affectionibus, dum vel lapideſcit, putreſcit, vel alia ratione retinetur, vel excutitur. Quam ſæpe partui immoritur infelici infelix mater & primum vitæ domicilium fœtus fit tumulus. At enim vero non omnibus fæminis tam ſalebroſa ſingulari DEI benigniſſimi beneficio calcanda eſt via, & partus dolores vel leviores ſunt, vel cito tranſeunt. Non parum clima terrarum ad faciliorem partum facere, & frugalitatem, orientales populi teſtari poſſunt, de quibus Scriptores memorant, quod facillime & in tenera ætate pariant, vid. Celeberr. Busbequii *Legat. Turc. Epiſt. III. p.* 155. in Colchorum regionis deſcriptione, & Thevenot *Voyag. P.* III. *L.* I. *cap.* XXIX *&* XLVIII. Libro autem II. c. XLVII. de mulieribus provinciæ Indiæ Telenga dicit, nullam nationem in mundo eſſe, cujus mulieres tam levi labore pariant quam hic. Quod de Bengalenſibus etiam pronunciat. Lycurgus autem ſeveriſſimus Lacedæmoniorum Rex & Legislator, quod natura forte negaverat, arte efficere conatus eſt; *Hinc corpora Virginum curſu, lucta, diſcique & miſſilium jaculationibus exercuit, ut & naſcentium exinde in robuſto corpore quaſi radix firma jacta germinaret eo melius, & ipſæ robore corporis fretæ in pariendo dolores facilius ſuſtinerent*, uti apud Plutarchum eſt in Lycurg. p. 32. Quæ quidem inſtitutio non contemnenda eſt,

cum juxta Celſum L. I. c. I. *ignavia corpus hebetet, labor firmet, illa maturam ſenectutem, hæc longam adoleſcentiam reddat.* Experimur etiam, eas fæminas facilius certo reſpectu habito parere, quæ tempore gravidationis temperate ſeſe movent, quam quæ otio & quiete abundant aut delectantur.

Anno MDCXLVII. die vigeſimo quarto Decembris corpus uxoris Sartoris alicujus in præſentia laudati D. D. Nath. Vogt aperui, poſtquam in graviſſimo ſed inani partu animam efflaverat. Brachiolum fœtus ex utero propendebat, putredine jam notatum: Cervix vero Uteri orificio incumbebat. Uterus ipſe in dextro latere ad ſpithamæ longitudinem diſruptus & ibidem corruptus erat. Fœtus vero extra Uterum in abdomine jacens pedibus ſub hepar usque extenſis miſerrimum exhibebat omnibus ſpectaculum. Funis umbilicalis cum placenta Uterina nullibi connexus in abdomine etiam recondebatur. Oſſa pubis duorum transverſorum digitorum latitudine dehiſcebant. Erat vero mulier XL annorum & decimum pepererat. Durantibus diuturnis partus doloribus magnam preſſionem in latere dextro ſenſit, cujus ſine dubio pes infantuli cauſa fuit. Inde etiam colligebatur, fœtus ſitum per aliquot dies talem fuiſſe extra Uterum, nec hunc ab Obſtetrice tantum diſruptum fuiſſe.

OBS. XLI.

PARTUS POST MATRIS MORTEM.

ANNO MDCLXVII. menſe Julio fæmina viginti circiter annorum, vaſti corporis, Uxor Nath. Vogtii Junioris, Medici filii, poſtquam in tertium annum ſterilis vixiſſet in matrimonio, fit gravida. Ob vaſtitatem tamen corporis, aliasque cauſas, omnes, etiam ipſa mulieris mater de imprægnatione dubitarunt. Maritus vero aliqualem concepit ſpem. Aliquo autem prædicti menſis die doloribus corripitur illa parien-

tibus

tibus familaribus, accedunt ſtatim magna hæmorrhagia, lipothymia, anxietates cordis, & brevi mors. Maritus ſtatim poſt obitum uxoris domum ex itinere rediens, graviſſime, ut æquum eſt, mortem hanc repentinam fert, & triſtiſſimus circa lectum feralem verſatur. Dumque ſexta poſt mortem hora corpus defunctæ intuetur attentius, animadvertit aliquem motum in abdomine ejus. Advocat itaque ſocrum, quid rei ſit aperit, & demortuæ corpus vivum adhuc continere fœtum ſancte affirmat, adeoque me vocandum eſſe cenſet, quo partus ope cæſarei fœtus in lucem prodeat: Illud autem ſocrus fieri debere conſtantiſſime negat, cum in opinione ſua viduus decipiatur, & quæ plura ſunt. Acquieſcit itaque ille; Verum enim vero poſt duodecim ab hoc motu horas, adeoque octodecim a morte, cum loculo defuncta impoſita, isque tectus eſſet, viduus eidem triſtis adſtat, caputque cubito in loculum poſito fulciens obſervat magnam commotionem intus excitatam, convocat ſtatim mulieres præſentes, aperirur loculus, & ecce infans mortuus, ſed omnibus partibus perfectus inter crura matris mortuæ jacet. Crura vero hujus incurvata, & in altum protracta viſa ſunt, extendique rurſus non potuerunt, corpus etiam ad latus parum converſum fuiſſe obſervarunt. Hanc rem, quemadmodum ea facta eſt, cum omnibus circumſtantiis viduus, amicus meus ſingularis, mihi recenſuit.

Fœtus magnam in partu promovendo partem eſſe, hic aliique caſus docere poſſunt. Dum enim in matre mortua ſpitituum animalium influxus in partes ceſſat, atque adeo neque conſtrictio Uteri fieri, neque niſus edi valet, relinquitur, ſoli fœtui laborem perrumpendi cataractas muliebres incumbere; quod præter Cl. Harveum *de Gener. Anim. p. m.* 515, *&* 517 *ſqq.* Thomas Cornelius Conſentinus *Phyſiol. Progymn. V. p.* 212. & Coſmopolita *Hiſt. Nat. p.* 222. *ſqq.* confirmant. Teſtatur etiam illud vehemens preſſio quam capite ſuo exerit in partu infans. Nec difficilis conceptu tota res eſt, ſi conſideremus fœtum perfectum omnibusque orga-

nis prædítum eſſe, hæcque ſangvine & ſpiritibus animalibus animari, ut proinde externas affectiones promte idem ſentiat, & vires ſuas in hac neceſſitate experiatur. Nemo præterea fortaſſis dubitabit, anxietates oriri in tenello corpuſculo ex tardiori fluidorum motu: Illum autem ſatis probare videntur tam reſpirationis in utero defectus, quam partium ſeroſarum copioſior ſecretio, eo fere modo, quo juxta Lovveri experimentum ligatâ venâ hydrops particularis excitatur. Non allegabo fœtus fere omnes ex utero progredientes aliquantum tumidos eſſe, cum id mulierculis notum ſit, neque referam, mammas continere lacteo-ſeroſam materiam, cum alio fine ſapientiſſime illud inſtitutum eſſe, dici poſſit: Illud vero attendi meretur, renes ſuccenturiatos & glandulam thymum in fœtu grandiores eſſe, quam in natis; probat illud evidentiſſime experimentum Doctiſſimi Warthoni *Adenograph.* cap. XVI. p. 98, quo thymum diverſis temporibus ad ſtateram revocavit, & in fœtu vaccino grandiori eum invenit pendentem uncias quinque & drachmas tres, in alio vero majore appropinquante partu Uncias quatuordecim; in excluſo autem bimeſtri Uncias tantum novem. Ex iſtis dico ſtagnationibus anxietatem quandam præcordialem oriri, motuque automatico influere ſuccum nerveum, membra moveri, &, ſi improprie loqui licitum eſt, auræ capiendæ deſiderium excitari; iſta enim vigente major humoribus introducitur motus, magis attenuantur partes craſſæ, & tota œconomia animalis quaſi invertitur. Incipit hæc äeris uſura ſtatim ac oris Uteri repagula reſerantur, ruptisque membranis aquæ effluunt. In qua equidem äeris in pulmones irruptione multum ad felicem promovendum partum ſitum eſſe mihi perſuadeo, & cum Excellentiſſimo Pechlino *Medit. de Aëris & Alimenti defectu cap.* IIX. *pag.* 101. *adeo ad partum neceſſarium eſſe ipſum äerem, ut, abſque hoc eſſet, vix commode erupturus ſit fœtus*, firmiſſime credo. Quis enim non concipiat maximam mutationem oriri ex circulatione ſangvinis mutata, in-

con-

conſveto ejus per pulmonum vaſcula motu; etſ. artusque adeo & totum corpus peculiari modo affici. Fœtum autem in utero non reſpirare; membranarum uterique clauſura, ductuum peculiarium conformatio, & ſangvinis ſingularis περικύκλωσις nos dubitare non ſinunt. Nec Virorum celebrium Charletoni *Oec. an. Exercit.* VIII. §. 16. aut Stalparti van der Wiel *Obſ. Cent. Poſt. Part. Pr. Obſ.* XXXI. *Schol. p.* 354. adductæ rationes pro reſpiratione aſſerenda tanti momenti videntur, ut contrariam ſententiam evertant. Nunc autem iis examinandis tempus non vacat. Illud occaſione præſentis Obſervationis monere liceat, non tantum utile, verum etiam neceſſarium eſſe, corpora mulierum in partu mortuarum incidere, ſi ſufficientia fœtus mortui ſigna non adſint. Cum enim hic certo reſpectu vitam vivat propriam, matri utique aliquo tempore ſupervivere poteſt, quemadmodum in præſenti aliisque caſibus factum eſſe experimur; eaque ratione homo ſervari poteſt, inciſione omiſſa neceſſario moriens. Neque legitima aut juſta de morte fœtus ſemper eſt ſuſpicio, quod nullus obſervetur abdominis motus; notum enim eſt, eum maxime debilitari ex matris anxietatibus, propriisque conatibus; deinde edi interdum in lucem infantes ſine omni fere reſpiratione veluti mortuos, qui impulſione aëris in os, aut frictione artuum & corporis aquis confortantibus vitales quaſi redduntur. Cæterum nulla defunctæ mulieri hoc modo infertur vis, quæ plebis eſt vana & ſuperſtitioſa credulitas, cujus anima vinculo corporis ſoluta, hujus affectionibus non amplius afficitur.

OBS. XLII.
AFFECTUS LIEN SUBITAQUE ALIARUM PARTIUM NECROSIS.

ANNO MDCXLV. tempore hyberno cum milites ſub tentoriis ruri degentes Urbem Lotharingiæ la Motte commeatu privarent, miles quidã Helvetius, Juvenis, veſperi ad me ac-

redit dicens ſe excurſioni interfuiſſe, & pedibus ūdum magnum toleraſſe frigus; Nunc autem ſiniſtrum latus ſub coſtis nothis tam vehementer dolere, ut, quid præ doloribus faciebat, ignoret: Lien cum tangeretur valde durus erat. Dabam ipſi ſtatim cremorem Tartari, latus inungebam unguento ex axungia porcina & raphanis præparato & cataplaſma emolliens eidem imponebam. Altero mane dum ægrum viſito, video totum corpus colore flavo perfuſum, labium vero ſuperius cum naſo obſcure lividum eſſe: Admirationem hæc in me excitabant, naſum itaque apprehendo & labium vellico, ſed ſine ſenſu erant & calore, neque ex cultelli inciſorii impreſſione ſenſus & vita redit, donec profundius adactus circa malas dolorem excitaret. Applicabam quidem ſtatim defenſiva, gangrænæque reſiſtentia, & duro lieni medicamentis lenientibus atque diſcutientibus proſpiciebam; Sed omnia incaſſum adhibebantur, & nocte ſequente fatis ceſſit miles. Aperui mane corpus. Lien quodam in loco magnitudine monetæ minoris (einen halben Ortsthaler groß) tam durus erat ex cæruleo niger, ac ſi ferrum candens ipſi impoſitum fuiſſet, & eandem fere faciem ibi exhibebat ac corium madidum quod nimis prope igni admotum corrugatur, & in medio vel alibi corrugatur, ita quidem, ut præ duritie novaculam vix ad ne vixquidem adigere in ſubſtantiam interiorem potuerim. Hepar qua parte ſplenem ſpectat, etiam nigrum erat, & gangræna corruptum, diaphragmatis itidem & pectoris partes vapore veluti aſcendente tactæ, eadem labe & colore quaſi contagio corruptæ erant.

Ita quidem obſcurus hactenus exſtitit Lienis uſus, ut omnes fere Scriptores meditatio circa eum fatigaverit; cum e contrario reliquorum viſcerum officium clarius longe pateret. Male etiam audivit multis, & mille malorum creditus fuit in corpore humano autor. Hinc Athletæ ſibi Lienem inurendum curabant, quo minus currendi celeritatem, ſicuti ſolet, impediret, ut ex Plinio refert Doctiſſimus Mercurialis *de Art. Gymnaſt. L.* II, *c.* X, *p.* 157.

157. Cæterum qualem quisque ſibi Medicus finxit hypotheſin, talem Lienis, ſingularemque excogitavit uſum, parum communiter curans, an naturæ conveniat, rationi bene adhibitæ reſpondeat, aut obſervationibus anatomicis firmari poſſit. Hinc multis erroribus Medicina & diſcentes impliciti ſunt. Plutarchi vox eſt *Oper. Moral. quemad. ſent. te in virt. profic. pag.* 32. *Qui ad res dogmata non accommodant, verum res ad hypotheſes ſuas vi cogunt quibus illæ non ſunt conſentaneæ, hi multis ſcrupulis referſerunt Philoſophiam.* (Dico & Medicinam.) Clopt. Havers Lienem fecit officinam mucilaginis, & acidi auſteri, *Oſteolog. p.* 247. & 251. Williſius *de Ferm. cap. V. p.* 14. in eo ſanguinem limoſum & terreſtrem qui in fermenti naturam ſit evectus, fermentationis gratia ſanguini reaffundendum contineri. Majovv partes nitro aereas in corpore abundantes ad functiones animales hic recondi & ſanguini reaffundi ſtatuit *de Mot. muſcul. cap. V. p.* 344. Alii alio abundarunt ſenſu. Sed eos Excellentiſſimus Bohn *Circ. Anat. Progymn. XVIII.* Geuderus *de ferment. Sect.* II. *c.* VIII. *p.* 181 *ſqq.* Ortlobius *diſſ. de bile alibique*, & Taury *Anat. c. VIII. p.* 141. firmis ſatis rationibus refutarunt; & argumentis ſolidiſſimis confecerunt, Bili, quicquid in Liene agitur, cedere in commodum: Adeoque nobilitate & utilitate non cedere aliis viſceribus. Inſons ſæpius morborum eſt Lien, & vel inteſtini Coli, vel Ventriculi aut Meſenterii peccata ipſi imputantur. Nec ſemper de ſitu ejus certiſſimi eſſe poſſumus, cum non minus in hominibus, quam animalibus brutis ludere queat & ſoleat Natura, ut copioſe demonſtravit ingenioſus Georg. Entius *Apolog. pro circuit. ſangv. Sect.* XXII. *p.* 98. *ſq.* eruditus Guido Patin. *Lettres choiſies Volum.* I. *Lettre* LII. refert, quod in corpore latronis publice diſſecto Lienem in latere dextro, & Hepar in ſiniſtro viderit; & laudatus Ruyſchius Lienem magnum in pelvim deſcenſum conſpexit, de quo *Obſ. Anat. Chir. Obſ.* LXII. Imo Entius *c. l. p.* 105. Ex Caſparo Bauhino & Hollerio exempla hominum, qui liene caruerint, adducit.

Patitur tamen ut reliqua viſcera, & lien ſuos manes, quod vaſis copioſis ſanguineis & aliis donatus ſit. Prudentiſſimus Hippocrates de *Intern. affect. cap.* XXXIII. *ſqq.* quinque ſplenis morbos recenſet; & forte plures addi poſſunt. Videtur autem præſens militis affectus ad quintum Hippocratis non injuria referri poſſe; eum cap. XXXVII. ita deſcribit: *Alius Splenis morbus. Fit autumno maxime ab atra bile. Fit autem ab olerum multorum quæ cruda eduntur eſu, & ab aquæ potu. Patitur itaque æger hæc. Cum morbus corripuerit, ſplenem vehementer dolet, rigor & febris apprehendit, inedia ipſum habet, ac cibos averſatur; & corpus cito concidit. Splen autem magnus quidem non valde fit, verum durus, ad viſcera allabitur, & adhærens ſurgit.* Quis autem neſcit, quam miſeram ſæpius in caſtris agant vitam milites. Quod vero tam cito ſuperiores gangræna occupaverit partes, a connexione quidem eſt, conſenſuque illarum mutuo, ſanguinem tamen antea jam corruptum fuiſſe, & malum ad ἀκμὴν nunc perveniſſe credibile eſt. Obſervavit jam Hippocrates *c. l. c.* XXXV. & Celſ. L. II. *c.* VII. p. 62. Gingivas Lienoſis malas eſſe, os olere, & ſanguinem aliqua parte prorumpere. In aliis autem colorem corporis eſſe plumbiformem, ulcera velut lancinata in cruribus exſurgere, exque his nigras cicatrices fieri. Et quanquam Scorbutum deſignari quidam exiſtiment, non tamen aliis morbis quicquam hoc ipſo derogatur, quod variæ tanquam ſub ſuo genere militent ſpecies.

OBS. XLIII.

VULNUS VENTRICULI CUM ULCERE IN INGUINE COMMUNICANS.

Quod morborum quorundā ſedes difficulter cognoſcantur, licet in examine ægroti, ſymptomatumque & quæ patiatur æger inquiſitione, diligens ſit Medicus, in cauſa eſſe arbi-

arbitror, quod vel actio partium quarundam non adeo evidens ac aliorum, vel ſenſus obtuſior ſit, vel affectiones diverſarum quidem partium ſint, eandem tamen præ ſe tantum non ferant faciem, vel ipſa morborum cauſa non tam vehemens aut impetuoſa veluti exiſtat, ſed pedetentim accreſcat, fereque inſenſibiliter, vel etiam partium vicinia animum in diverſa trahat, judiciumque certum cohibeat, etſ. Sic meminimus caſus dubii, ratione ſedis morbi, in muliere Lugduni Batavorum in Noſocomio anno MDCIIC menſe Martio a nobis obſervati: Quadraginta ſeptem erat annorum prædicta mulier, jamque ab octodecim ſeptimanis conqueſta erat de dolore Umbilici intolerabili, urinariam veſicam nec alvum ſufficienter exonerabat, & vigiliæ præ doloribus continuo affligebant; in hypochondrio ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis deprehendebatur tumor inæqualis & mobilis; flatus aderant, ſed exire nequibant. Pulſus contractus, & frequens; atque continua angebat cordis palpitatio. Adhibebantur ab experientiſſimo Dekkers nervina & flatus diſcutientia tam interna quam externa. Sed opera perdebatur & oleum, dolores perſiſtebant, & quamprimum aliquid alimentorum aſſumebat, intolerabiles fere fiebant. Vomitu ſæpius rejiciebat aſſumta, & ileus prope abeſſe videbatur. Quo vero loco tumor proprie hæreret, incerta erat omnium opinio; donec tandem mors die duodecimo Martii, ſi recte memini, ſuperveniens copiam accuratius in ſedem ejus inquirendi faceret. Totum ſcilicet meſenterium fere occupabat tumor iſte prægrandis & durus; lardum ſeu pingvedinem referens, comprehendebat ſimul pancreas. Veſicula fellis in maximam molem diſtenta erat. Hepar magnum, lien vero parvus conſpiciebatur; Exæquabat vero tumor dictus quatuor libras cum dimidia; cauſa etiam hydropis aſcitidis ſimul fuerat. Quis neſcit, quam ſæpe facileque confundantur colica & nephritis, aliique morbi? Sic inter difficulter cognoſcendos morbos referri poſſunt Peritonæi affectus, interque eos hydrops;

Sed hæc ſigna ex parte tradidit diligentiſſimus Nuck *Adenograph. curioſ. cap. IX. p.* 110. Neceſſarium itaque eſt, doctrinam Signorum omni ſtudio excolere, & pathognomonica, quantum poſſibile eſt, diſcere, cum Semiotica anima praxis medicæ dici poſſit; Optime Foreſtus aſſerit *Obſerv. de febr. L. V. Obſ. XIV. ſchol. Qui morborum exactam cognitionem negligit, vel illos fieri ignorat, in inveſtigatione toto cœlo aberrat, & tantum in curatione aberrat, quantum in cognitione peccavit.* Æternam proinde meruerunt laudem induſtrius Lommius, illuſtris Wedelius, & Excellentiſſimus Schraderus, qui ſignorum doctrinam ex profeſſo tractare elaborarunt; Inter reliquos vero Practicos ſcriptores Hippocrates, Galeni, Cælii Aureliani, Aretæi, Foreſti, Heurnii, Sennerti, Riverii, Sydenhami, Baglivii aliique hanc ſpartam egregie in Libris ſuis excoluerunt. Cæterum de morbis difficulter cognoſcendis verba ſunt Hippocratis de Flat. c. II. *de non apparentibus & difficillimis ægritudinibus plane opinio magis quam ars ipſa judicat. In his ergo plurimum refert expertusne ſit quis, an omni experientia carens.* Conf. in vita Heurnii morbus Gubernatoris de Noortcarmes, quem ſolus Heurnius cognovit.

Anno MDCXL Oldenburgi Vir provectæ ætatis apoſtema geſtabat in latere dextro ſupra os pubis, quod tantos ipſi creabat dolores, ut corpore incurvato incedere debuerit, tandem ſponte apertum eſt, & fluida materia prorupit, poſtea autem cibus & potus quemadmodum aſſumti erant, vulnere effluxerunt, præprimis ſi erectus ſtaret aut ſederet. Ex his morbi originem ex Ventriculo perforato deducendam potius eſſe, quam ex Inteſtinis, ut alii volebant, arbitrabamur, cum præterea illud, quod ex vulnere prodibat, talem non ederet foetorem, qualem inteſtinis vulneratis obſervamus; deinde quod cibi indigeſti, ut carne fumo indurata, aliaque, & cereviſia calida experimentum ſæpius factum, ſtatim rurſus excernerentur ex vulnere, quod etiam, ſi in Inteſtinis hæſiſſet malum, fieri non potuiſſet. Curationis itaque noſtræ

ſtræ ſcopus fuit, Ventriculo mederi. In eum finem decocta vulneraria ordinata, & potui adſtringentes quædam plantæ, ut herba Saniculæ & Vincæ pervincæ, radices tormentillæ & ulmariæ impoſitæ ſunt. Et quo ventriculus non gravaretur, parum una vice ſuppeditavimus cibi, ſed ſæpius, quod integer conſtaret viro appetitus. Pulverem quoque cum cibis uſurpavit ex herbis & radicibus vulnerariis boni ſaporis. Vulnus ſive Ulcus præterea injectionibus debitis purgatum & a ſymptomatibus præmunitum fuit, ſicque poſt ſex ſeptimanas, quibus noſtræ curæ ſeſe commiſerat æger, (nam per viginti hebdomades antequam noſtrum experetet auxilium, a Chirurgo in pago vivente hoc apoſtema tanquam commune, ſed ſine ullo fructu tractatum fuerat) cum ſanitate rediit in gratiam, erectusque rurſum incedere potuit. Cum poſt aliquot annos Pariſiis conventui Medicorum & Chirurgorum publico intereſſem, proponebam hunc caſum, judicium ſententiamque eorum percepturus, erant etiam aliqui, Inteſtinorum læſionem accuſandan eſſe qui ſtatuerent. Evincebatur tamen ab Experientſſimis Viris D. de Bonaire & Tourby Ventriculi exſtitiſſe affectum, & eo quidem in loco, quo peritonæo prope adjacet, eum eroſum, hocque ſimul perforatum fuiſſe; ut ideo materia excernenda inter muſculos abdominis viam quæſiverit, & circa pubis os collecta externam cutem perforaverit. Si enim, ajebant, in cavum abdominis effuſa fuiſſent Ventriculi contenta tam cito ore aſſumta per vulnus redire non potuiſſent; inteſtina etiam ante foramen interdum apparuiſſent, quod tamen non factum fuit. Hiſce itaque ratiociniis cæteri ſubſcripſerunt.

OBS. XLIV.

VULNUS INTESTINI CUM ULCERE IN REGIONE INGUINIS COMMUNICANS.

COgnoſcitur autem pars affecta morbique ſedes ex Symptomatibus, quæ morbos perpetuo concomitantur, illos de-

deſignant, ab aliisque diſtingvunt. Ad rem loquitur diligentiſſimus Baglivius Prax. Med. L. II. c. VIII. p. 204. *In Tabidis ſi dolor vehemens lateris derepente ſuperveniat, brevi delirabunt, febris magna accendetur, & paucis poſt diebus moriuntur. Scias tamen, quod quando dolores illi lateris vehementes in tabidis ſuperveniunt cum aliis præfatis circumſtantiis, ſcias, inquam, talem tabem oriri infallibiliter a connexione præternaturali pulmonum cum coſtis, eamque prognoſticare poteris, idque repetita cadaverum Tabidorum ſectione abunde cognovimus.* Deinde ex ACTIONIBUS LÆSIS; Sic tam in pleuritide, quam peripneumonia læditur reſpiratio, ſi tamen inſpirationis modus in utroque morbo attente conſideretur, & æger de circumſtantiis ejus quæratur, differentia utriusque affectus brevi patebit, in peripneumonia enim inſpiratio brevior & magis anxia eſt, adeoque pulmones ipſos pati deſignat, in pleuritide vero aliquanto liberior exiſtit. Tum patefit ex SITUS PARTIUM NOTITIA, quem ex anatomicis ſectionibus diſcere neceſſum eſt: Huc referri poteſt MANUS ÆGROTI; Experimur homines graviſſime in capite læſos ſenſuum uſum penitus fere amittere, ut quæſtionibus nihil in cognitione loci affecti proficias & fruſtra ab ægro reſponſionem exſpectes; Hoc tamen obſervamus, manum ita decumbentes ſæpius capiti, ejusque certæ parti admovere, & Medico quaſi indicium præbere partis læſæ, unde paræmia: Ubi manus, ibi dolor & pars affecta. Huc etiam facit conſideratio quomodo EXCRETIONES SOLENNES ſeſe habeant an ſcilicet rite procedant an vero minime. Committuntur ſæpe fallaciæ cauſæ non cauſæ in Medicina, quod circumſtantiæ omnes non rite conſiderentur. Accepimus a Viro quodam Celeberrimo, laboraſſe aliquem cephalalgia; cujus tollendæ gratia cum advocaſſet Medicum, hic ſpecificum cephalicum D. Michaelis præbuit, cum nondum cederet dolor, ſecundum propinavit idem, & tandem, increſcente magis eo, ſpecificum iſtud tertium, præbet: Verum nec in-

de

de aliqua doloris remiſſio. Neſciebat ſcilicet ille, nullum morbum, ut Heurnius loquitur *Inſt. Med. L. XI. cap. I. p.* 108. eſſe eundem omnibus, nec ullum remedii genus eandem vim habere in ſingulis, & juxta Celſum L. III. c. I. non omnibus ægris eadem auxilia convenire. Alius itaque in conſilium adhibitus Medicus diligentius morbum examinans comperit, alvum a longo tempore eſſe obſtructam; ordinato igitur remedio laxante tres ſpecifici propinati doſes cum excrementis per inferius guttur rurſus ejectæ ſunt; dolor vero capitis evanuit. Tandem etiam EXCREMENTA conſiderari merentur. Quanquam judicium urinarum fallax admodum ſit & incertum, confert tamen in multis morbis, præſertim renum & veſicæ, ad majorem cognitionem earum inſpectio. Pleuritides ſemper fere urina turbida, aquam, cui limus immixtus, referens; Paſſiones vero hyſtericas, & hypochondriacas urina clara & pallida; Hydropes lixivialis. &c. comitatur. Excrementa in hoc & præcedente caſu nunc Ventriculum, nunc inteſtina, nunc inteſtinorum certam partem affici docuerunt. Nonne etiam Lienteriam & Cæliacam paſſionem excrementorum inſpectio diſtinguit? In dyſenteria, ictero etſ. non minor horum ratio eſt. Quanta Antiquorum in natura morborum inveſtiganda fuerit induſtria ex Cælio Rhodig. c. l. L. XXIX. cap. XIII. p. 1121. conſtat, *Hippocratis*, inquit, *id fuiſſe legimus in diſcendo ſtudium, ut eum non puduerit vel retrimenta guſtare, ut inde morbi naturam perſentiſceret. Quod tamen alii Æſculapio malunt adſcribere, unde & ab Ariſtophane* σκατοφάγος *dictus eſt, quo verbo is ſignificatur, qui ciborum veſcatur ſuperfluitatibus.* Plura ſine dubio partium affectarum ſigna ſuperſunt, ſed illa omnia nunc exſequi præſens inſtitutum non permittit.

Anno MDCLXVIII. menſe Januario vocabar ad ſartoris uxorem, Mariam Krauſin/ quam ulcus in inguine enatum in non leve conjecerat periculum. Ægrotaverat ſcilicet antea, & cum ex morbi decremento ſanitatem ſperaret integram, tumor in hac

parte elevatus novorum dolorum, novæque ægritudinis cauſa ex-ſtitit. Per tres ſeptimanas ſibi ſola conſuluerat mulier remediis domeſticis; tandemque melle ſæpius impoſito ad ſuppurationem & apertionem redegerat tumorem. Poſtquam acceſſi, purificationi ulceris quam maxime ſtudui ſerpentique corruptioni reſtiti. Injeci propterea liquorem ex aloe, myrrha, radice Ariſtolochiæ rotundæ, Iridis illiricæ, camphora, vino & aqua chelidoniæ paratum ulceri: Et quo duritiem ejus reliquam ſuperarem, præſervans & emolliens cataplaſma impoſui. Ex horum uſu ſpatio paucorum dierum & durities emollita, & ulcus pulchre purificatum eſt. At vero, novum terrorem incutiebat ſymptoma a nobis antea non obſervatum; profluebat enim materia aquoſa bile mixta, interdum etiam cibus atque potus; die vero decimo quinto Januarii fecum alvinarum nondum ſolidarum aliquid hic ejiciebatur, ſed pluries non quam ter aut quater hoc obſervatum fuit. Semel vel bis infuſo rhabarbari leniſſime alvum ſubduxi, hinc decoctum vulnerarium ter in die hauriendum ordinavi. Addidi poſtea liquoribus injiciendis adſtringentia quædam medicamenta, cibos pulveribus traumaticis conſperſi, & nodulum herbam veronicæ, ſaniculæ, herbam & radicem biſtortæ & tormentillæ capientem potui ordinario infudi. Omnia bene procedere videbantur, & poſtquam nec cibus nec potus fere amplius effluerent, prodibat Chylus mox albicans, mox bile commixtus. Circa finem Februarii in febrim incidebat cum vel quindecim dierum ſpatio prædictæ materiæ nihil per vulnus excretum eſſet; ceſſit vero illa purgationi ex Rhabarbaro, Mechoacanna alba & cremore Tartari paratæ, & Venæ ſectioni adhibitis. Vulnus autem diligenti licet adhibita opera coire renuebat, remanebat ſcilicet foraminulum, per quod materia flaveſcens continuo deſtillabat. Terebinthinam tandem venetam rebelli huic malo opponere, & ſub potionis forma propinare apud me conſtituo. Sumo itaque terebinthinæ Unciam unam, diſſolvo illam in duobus vitellis ovi, & ſenſim affundo vinum

num

num in quo plantæ vulnerariæ maceratæ erant, donec terebinthina ſufficienter diluta lacteum conſtitueret liquorem; hujus ſacharo edulcorati duo cochlearia bis in die propinabam feliciſſimo ſucceſſu, coiit enim foramen, & menſe Aprili mulier ad integram rediit ſanitatem.

OBS. XLV.

FECUM PER INGUINA EXCRETIO LETHALIS, SEU BUBONOCELE PRO TUMORE ALIO HABITA.

ANno MDCXLVIII. menſe Novembri vocatus ſum ad ægrotum pagi Brambock incolam. Per aliquot iſte annos obſervavaret tumorem in inguine nunc oriri, nunc rurſus evaneſcere. Cum vero ante aliquot ſeptimanas cum equis in campo degens frigore afficeretur, maxima tormina in abdomine orta ſunt, & tumor conſuetum occupavit locum; conſtans ſcilicet & magna Bubonocele orta fuit, cum vehementi vomitu, tantaque virium dejectione & incommoditate ex prolapſu iſto inteſtinorum, ut lecto abſtinere nequiverit. Domeſtica variique generis adhibet remedia, ſed ſine ullo fructu. Præprimis vero obſtructio alvi pertinaciſſima ſuperioribus ſymptomatibus ſeſe junxit. Herniam vero ruſticus non cognoſcens, pro tumore indurato habet, adeoque Cataplaſmata & fotus, quibus emolliatur & aperiatur proprio conſilio applicat: Tandem cutis nigreſcens putredinis latentis ſigna præbet, mox pars tumoris palmæ magnitudine partim ſponte ſeparatur, partim ab ægrotante reſecatur. Hæc apertio facta fuit die morbi decimo quarto; Putabat autem (non injuria) patiens, partem inteſtini corruptione iſta ſimul ablatam fuiſſe: Cum enim per totum tempus, quo decubuerat, alvus obſtructa fuiſſet, & maximas anxietates excitaſſet, per dictum foramen feces alvinæ ſtatim proruperunt, & ipſe liberius reſpirare

cœ-

cœpit. Hæc erat morbi hiſtoria quam didici, cum undecima morbi ſeptimana ægrum requiſitus viſitarem. Venter recrementa ſua per vulnus adhuc exonerabat, nec per anum quicquam a morbi principio ſeceſſerat. Quanquam autem diu jam decubuiſſet, vires tamen utcunque conſtabant. Quoniam ſententiam meam & conſilium tantum expetebat, morbum quidem magnum eſſe dixi, ſed qui, ſi non totus auferri, fortaſſis tolerabilior reddi queat, præprimis cum vires nondum penitus, licet morbum diu traxiſſet, collapſæ robur naturæ ſatis indigitarent: Opus itaque eſſe, ſeſe in urbem vehi curare, quo conveniens diæta & methodica curatio ordinari & ſuſcipi poſſit. Verum plurimam æger jamdum dejecerat de ſanitate recuperanda ſpem, adeoque noſtro conſilio non audiens domi remanſit, & vulneri folia verbaſci tantum impoſuit. Poſt ſex vero demum ſeptimanas mortuus eſt.

Quando ſemel partes ſolidæ corporis humani debilitantur, facillime vitia occaſione data denuo recipiunt, præprimis quando tonus fibrarum extenſione violenta læditur; Non aliter ac videmus filum chalybeum in modum cincinnorum contortum moderate extenſum reſilire in priſtinam figuram, præter modum vero diſtractum laxius fieri & multum de virtute remittere. Simile obſervamus in hominibus, qui ex quacunque cauſa herniam aliquando contraxerunt, quod ſcilicet idem facile incurrant infortunium. Frigoris & humiditatis in ſuſcitandis antiquis periculis hic præprimis obſervamus efficaciam; quatenus humorum liberiorem motum impediendo robur partium imminuunt, januamque & feneſtram irruendi hoſti nondum penitus reconciliato aperiunt. Experiebatur illud maximo ſuo damno textor paganus ante aliquot annos, cum enim antea quidem hernia ſcrotali laboraſſet, nuncque de integra valetudine recuperata nimium ſecurus aquam intraſſet piſces capiendi gratia, recruduit malum, & inteſtina in ſcrotum profuſa ſunt, unde primo herniam incarceratam mox Ileum, tandemque ipſam mortem incidit. Rumpitur equidem

ali-

aliquando peritonæum, ſed rarius, & nonniſi a cauſa violentiſſima: Cedit tantum ſæpius violentis preſſionibus aliisque injuriis & extenſum inteſtina recipit. Facilius hoc contingit, ſed interdum majori periculo, ſi inteſtina proceſſus peritonæi ſubeant, & eorum orificium anguſtius regreſſum præcludat. Clariſſime hos cum curioſo Svvammerdammio Celeberrimus Juſtus Schraderus *Obſervat. Anat. Med. Decad. II, Obſ. V.* & ab iis dilatatis herniam produci obſervavit. Doctiſſimus vero Nuckius *Adenograph. carioſ. cap. X.* hernias in ſexu maſculino non a proceſſibus, ſed a corrugata Peritonæi parte in regione inguinali conſpicua, ſeu diverticulis oriri ſtatuit. Si utriusque verba inſpicio parum in deſcriptione proceſſuum & diverticulorum uterque variat. An itaq; non differunt? Schraderi verba ita habent: *Dn. Svvammerdammius virile corpus in Noſocomio mecum diſſecuit, quando præ aliis peritonæi ſtructuram in inguine, ubi herniæ exoriri ſolent accurate examinavimus, vidimusque revera ibi proceſſum aliquem verſus ſcrotum pretenſum, longitudine articuli digiti, cujus extremum erat clauſum, (inſtar inteſtinuli cæci) & fibræ membranaceæ gracillimæ annexum: oſtium ejusdem in ſuperficie peritonæi interiore conſpicuum oblique collapſum erat, cui cum per tubulum flatum immitteremus, pulchre in conſpectum veniebat oblonga burſula, quam cum portiuncula peritonæi exſectam & eleganter præparatam in muſeo ſuo ſervat Dn. Svvammerdam, qui ejusdem, ut & alius cujusdam proceſſus vehementer dilatati ex hernioſi cadavere quondam exemti, exactisſimam iconem mihi conceſſit. Vaſa ſpermatica tantum aberat ut ingrederentur proceſſum iſtum, ut potius nullam eum ipſo communionem haberent; contigua enim ſolummodo ipſi erant, ſub peritonæo prope oſtium proceſſus decurrentia.* Nuckius ita ſcribit: *Nihil quidem vulgatius inter Medicos Practicos quam in Herniis inteſtinali & omentali Peritonæi proceſſus, ut vias nimium patulas, easque aut laceras aut relaxatas, quæ inteſtini aut omenti partem excipiant culpare: Verum ſciant illi, ejusmodi proceſſus in quadrupedibus, maribus quidem, nullatenus vero in ſexu maſculino humano occurrere, omnesque in hoc ſexu hernias, quotquot mihi examinare licuit ſemper a violenta peritonæi extenſione fuiſſe productas, non vero a Proceſſibus dilatatis, ſed a corrugata Peritonæi parte in regione inguinali abdominis conſpicua, lateraliter vaſa ſpermatica (ſub Peritonæo ſita)*

tangente & a prementibus inteſtinis vel omento ſacciformem figuram induente, magis minusque extenſa prout major minorve inteſtinorum portio eandem premendo ſubeat, ſalvis manentibus vaſis ſpermaticis, quæ inteſtina aut omentum prolapſum non tangunt etſ.

Cæterum non raro, uti in præſenti caſu factum, hernia inguinalis pro alio tumore habetur, & ægrotans hac ratione in magnum ſæpe præcipitatur periculum. Quo loco notandum Nuckii monitum c. l. p. 138. *Caute ſint ſimilibus in caſibus Chirurgi audaculi, ne reponere cupientes inteſtinum prolapſum inviti videant vulnus inflictum excrementa evomere non ſine præſentaneo patientis periculo & maxima Chirurgi infamia.* Quomodo autem a bubonibus aliisque tumoribus diſtinguenda ſit hernia vid. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. I.* Obſ. *LIV.* & Celeberrimus Ettmullerus *Pr. Med. P.* I. *c.* X. *p. m.* 152.

OBS. XLVI.

FECUM PER UTERUM EXCRETIO LETHALIS.

VOluerunt aliqui ſemen muliebre eſſe ſanguinem menſtrum, ſed eos ſana ratio abunde refutavit, nec ipſa adeo res multos invenit Patronos. Illud vero corpus tam fluidum eſſe, quam Virorum ſemen, a pluribus hactenus creditum fuit. Occaſionem ad hanc opinionem amplectendam ſuppeditavit liquidi cujusdam & fluidi in fæminis per partes genitales excretio, tum alio tempore interdum, tum quando coitum celebrant, quodque multum facit, ut, juxta Ariſtotelem, plena jucunditatis res concubitus ſit. Defenderunt hanc ſententiam magno conatu & contentione Viri aliquot Medici; Præprimis Guilielmus Lamy *de Anima ſenſitiva*, ubi fæminas verum habere ſemen, maſculino ſemini prorſus ſimile ſtatuit. Joannes Baptiſta de Lamzvverde *Hiſtor. Nat. Mol. Uteri cap.* VII. ſemen quidem fæminis etiam concedit, ſed illud tamen a maſculino differre adſtruit pag. 72.

Se-

Sequi enim illud temperamentum corporis unde deſumptum eſt, adeoque minus obtinere caloris & roboris, quam virile, & eſſe multo tenuius & aquoſius, propter majorem particularum figuræ oblongioris copiam, attamen æque ac ſemen maſculinum omnium partium corporis fæminini rudimenta & virtutem ſeminalem complecti. Differre porro pergit pag. 73. præcipue a maſculino quod perfectiora partium genitalium muliebrium & mammarum rudimenta in ſe complectatur, & quod ob humidam temperiem magis ad fermentationem ſuſcipiendam, idoneum ſit, hinc etiam ob calorem minus firmum & ſtabilem menſtrua producat &c. Verum enim vero hæ ſententiæ ipſa ſufficienter refutantur ratione & autopſia. Primo enim præjudicium eſt, magnam quantitatem ſeminis ad fæcundationem requiri; Glandularum ille ex copioſiori ſpirituum animalium influxu & compreſſione ſeri tenacis hic depoſiti proventus eſt, cui ſeminis activa pars commixta; Minimum enim illud eſt, quod agit & proprie ſemen appellatur: Deinde obſervationes in hominibus & brutis craſſamentum illud effluere rurſus ex utero conficiunt, ſemen illud non fuiſſe, vid. eruditiſſimus Bohn *Circul. Anat. Progymn.* I. *pag.* 5. Tum vaginæ collique uteri contemplatio & conformatio glandularum copioſum hunc ſudorem eſſe fætum demonſtrat, ſuis uſibus deſtinatum, ut pluribus deducit laudatus van der Becke *c. l. L.* II. p. 249. *ſeqq.* Locus igitur ſecernendi ſeminis, ſi quod eſſet, hic revera omnium minime foret conveniens. Neque etiam poſt coitum hujus materiæ aliquid in uteris repertum eſt, ut frequentibus diſſectionibus conſtat. Omnium vero optime ovulorum exiſtentia contrarium ſentientium hypotheſin corruere facit, ut de longinquis & dubiis incertisque circumſpicere non opus ſit, quando indubia & certiſſima habemus. Non autem concipio, quid liquor hic uteri ſeu potius vaginalis ad menſtruorũ faciat productionem. (Obſervatur quidem in nonnullis fæminis, in quibus alias copioſe ſecernitur, majori in quantitate eum profluere uno circiter die

ante eruptionem catameniorum, quam extra illud tempus, ſed hic fluor non ut cauſa ſed ut effectus majoris circa illas partes ſanſguinis commotionis ſalutandus venit.) Fermentatio enim quam uſcipere juxta mentem Autoris Clariſſimi debet, locum habere hic equidem non videtur. Non allegabo Celeberrimum Vieuſſens *de Mixti Princip. in ord. ad corp. hum.* Tract. II. c. III. p. 327. optime monere, *liquida viſcida difficilius quam tenuia omnis viſciditatis expertia fermentari; videlicet quod liquidorum viſcidorum arctius quam tenuium particulæ ſibi invicem adhæreſcant, proindeque difficilius agitentur.* Ipſumque Autorem calorem minus firmum & ſtabilem accuſare: Illud tamen certum eſt, repugnare hanc hypotheſin circulationi ſangvinis cæterorumque humorum, qua ſcimus omnes ſuccos jugi motu propelli, ſtagnantes vero eos integritatem ſuam non conſervare, adeoque corpori vim labemque inferri. Deinde locum eſſe inconvenientiſſimum, in glandulis ſcilicet, ductibusque minimis, & quæ plures ſunt rationes, quas omnes adducere nil attinet, cum laudatus Vieuſſens dicto Tractatu II & ſpeciatim Doct. Geuderus c. l. Sect. I. cap. II. hanc rem latius deduxerint. Quomodo autem ex hac hypotheſi menſium tempus ordinarium deducetur, cum calor etiam minus firmus ſit & ſtabilis? Nonne itaque eruptio eorum incerta quoque erit? Adeſt & profluit hic liquor in provectæ ætatis fæminis quæ non pariunt, nec menſes amplius vident; Si autem & cauſa tam propinqua præſto eſt, & ſangvis & ductus & cætera, quid impedit quo minus effectus ſequatur? Nec in Gravidis, quæ communiter menſes non patiuntnr ratio ſupreſſionis juxta hanc hypotheſin patet; cum tamen hoc liquido etiam eo tempore madeant genitalia. Concludo ex his allegatam hanc a Doctiſſimo Autore menſtrui fluxus cauſam non adæquatam, ſufficientem & omni modo certam eſſe.

Ab hac hypotheſi non multum differt ea quæ a Daniele Taury *Anat. nov. ration. cap. XII.* in medium adfertur. Vult

enim

enim Semen fœminarum in ductibus (qui tamen non ſatis accurate deſcribuntur) per menſem aut circitermorans acre evadere; atque ſine voluptatis excitatione, ſed cum fervore inſigni effluere; deinceps vero vaſorum orificia apperire, & excitare effluxum ſangvinis, qui in ſe ab illo, qui in reliquo corpore circulatur, non differat, ſed cum hoc fermento permixtus acris demum evadat. Notandum vero in anteceſſum, Ovum & Semen Autori huic unum idemque eſſe vid. pag. 199. Et pag. 198. *Ecquid*, inquit, *mea refert, ſi ſemen fœminæ appelletur ovum, aut ovum ex quo provenit pullus nomine ſeminis veniat?* Verba autem eâdem paginâ prolata: *Ecquid ad nos pertinet ſcire an ſemen fœminæ ex teſticulo in forma liquida aut membrana quadam involutum decidat?* inquirendi & obſervandi neceſſitatem in Anatomicis & Phyſiologicis parvi faciendam eſſe innuere videntur; Quod an promovendæ Medicinæ, & hominum ſanitati conveniat, maxime equidem dubito. Gaudemus tamen ovulorum membranis ſuis involutorum ad uterum, per tubas Fallopianas aut cornua, protruſionem tam evidenter a multis demonſtratam eſſe, ut qui id negare velit, cum noctuis plena in luce cæcutire velle videatur. Recordamur, cum anno MDCLXXXXII Excellentiſſimus Limmerus in Collegio anatomico canem fœminam cultro anatomico ſubjiceret, nos cum aliis obſervaſſe eam ante paucos forte dies imprægnatam fuiſſe. Quædam enim ovula loculis ſuis ob conceptionem exturbata quidem, ovario tamen adhuc inhærebant; cornuum etiam in tantum apertorum, ut craſſiorem ſtylum facillime admitterent, orificio ovulum adhuc inſidere curioſis oculis conſpiciebamus iis ſimile, quæ in Ovario & ipſis Cornibus deprehendebantur. Cæterum iisdem argumentis hoc de cauſa purgationis fæmellarum menſtruæ ſubvertitur commentum, quibus Cl. Lambzvverdii opinio. Et juxta illam phænomena omnia explicari nullatenus poſſunt; uti etiam videre

eſt in ſolis illis quinque, quorum explicationem Autor ſuſcepit, quam obtorto illis collo applicetur hypotheſis.

Melius vero ſuperflui aut nimii menſium fluxus acredo quædam interdum ſtatui poteſt cauſa, quæ ſtimulando fortius aut rodendo, vel cum ſanguine, vel extra eum operetur. Probabilis itaque magis, imo certa & evidens potius nobis videtur in ſuperioribus ad Obſervationem XX allegata cauſa, utpote omnibus phænomenis clare & diſtincte explicandis perquam commoda. Quamdiu autem ſtatis temporibus menſes fluunt fæminis, bene habent; quando vero vel in defectu vel in exceſſu peccat ſangvinis per hæc loca excretio, φύσις γυναικείη, ipſaque interdum mutatur muliebritas. *In Abderis Phaëthuſa*, inquit Hippocrates Popular. L. VI. Sect. VIII. §. 98. ſeqq. *Pythea uxor, priore quidem tempore fæcunda erat: cum autem maritus ipſius in exilium abiiſſet, menſes multo tempore ſuppreſſi ſunt: poſtea dolores & rubores ad articulos aborti ſunt. Hæc autem ubi contigiſſent, & corpus virile factum eſt, & hirſuta penitus evaſit; & barbam produxit, & vox aſpera facta eſt.* Si vero in majori quantitate quam debebant profluunt catamenia, Ilias adeſt malorum. Sangvis enim tanquam pretioſiſſimus vitæ noſtræ theſaurus effunditur: Unde virium vel ſubitaneæ vel ſucceſſivæ proſtrationes, animi deliquia, atoniæ viſcerum, tandem cachexiæ, hydropes; interdum vero hecticæ, eroſiones partium ulceraque oriuntur: *Menſibus ſcilicet copioſioribus prodeuntibus morbi contingunt.* Hipp. Sect. V. aphor. 57. *Lumborum* item *diſtentio ex muliebrium menſium multitudine ad ſuppurationem tendit, & varie prodeuntes viſcoſi, graveolentes, ſtrangulatorii menſes ex prædictis ad ſuppurationem tendunt.* Coac. prænot cap. III. §. 25. ſqq. In quæ pericula, ipſamque demum mortem mulieres in XXXV & hac ſequenti obſervatione adductæ inciderunt.

Anno MDCLVII menſe Auguſto mandato Sereniſſimi Principis Anhaltini Deſſavienſis vocabar Deſſaviam, ut in præſentia

Am-

Ampliſſimi Schneideri aperirem corpus Uxoris Villici Niſchvvizenſis defunctæ. Nimium per aliquot annos paſſa erat menſium fluxum ; imo per ſesqui annum continuo ex Utero ſangvis, deinde per aliquod tempus multum fœtidi puris ſangvine mixti, tandem vero feces liquidæ per dimidium ante obitum ejus annum profluxerunt, nec amplius per ordinariam viam quicquam excrementorum ſeceſſit. Maximum quidem a Dominis Medicis toto morbi decurſu impenſum fuit ſtudium, quo mederentur tam gravi morbo, ſed inane penitus fuit, juxta proverbium :

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger
Interdum docta plus valet arte malum.

Omnibus enim viribus ſpoliata mulier, & ſumme extenuata Naturæ debitum poſt longas miſerias perſolvit.
Cum itaque corpus maxime emaciatum & σκελετὸν aperiremus, omnia viſcera inſigniter collapſa oculos incurrebant fuſca, ſubnigra & fœtorem teterrimum redolentia. Cavitatem inteſtinorum obducebat tenuis flaveſcens & fœtidiſſima mucilago ; hinc inde vero ſcybala nucum juglandium magnitudine, item majora duriſſima ſicciſſimaque reperiebantur. Quo loco Inteſtinum Colon Uterum tangere ſolet, ipſi firmiter adnatum erat. Per longitudinem diſſectum inteſtinum conſpiciendum dabat foramen vel tres digitos capiens, quod cum uteri cavitate communicans magnam vim putidiſſimi puris & fecum concludebat, & excretionis iſtius præternaturalis cauſa fuerat ; paulo ulterius progredientes in inteſtino recto ſimile foramen ſed anguſtius obſervabamus cum priori reſpondens: Cum ad finem inteſtini recti properaremus, illud podicem verſus ſcybalis ita repletum occluſumque vidimus, ac ſi conſilio & induſtria factum fuiſſet, ne excrementa alvi amplius per hanc portam ejicerentur. Maximus autem fœtor ab ulteriori viſcerum examine nos abarcebat.

OBS.

OBS. XLVII.

DUO MAGNI CALCULI EX VESICA URINARIA FOEMINÆ EXTRACTI.

SI curioſisſimo Thevenotio *Vogag. Tom. I. L. I. c.* XXVII. ſides habenda, Turcæ calculo non laborant. Cauſam Autor rejicit in balneorum uſum & victus vitæque ſobrietatem: Hanc gentis ejus frugalitatem confirmat illuſtris Busbequius c. l. epiſt. I. p. 65. *Illis*, inquit, *minimo impendio cibus & potus conſtant, adeo ut affirmare auſim, unum aliquem noſtratem majorem ſumtum in cibos facere uno die, quam Turca faciat duodecim.* Ita quidem eſt, his præſidiis tutiorem aliquem a dirisſimo hoc morbo degere poſſe. Balnea enim calore ſuo humido partes ſolidas demulcent, vias vel reddunt, vel conſervant patulas, ut ſabulum ſi quod adeſt, inoffenſo pede exeat ex corpore. Si vero quis vitæ victusque rationem habeat, an multæ poterunt coacervari cruditates, morborum fabri? Scimus calculorum in Microcoſmo Geneſin viſcido, cui immixta aut irretita ſunt ſalia diverſi generis, adſcribendam eſſe. Vino deceptoris Mahumedis præcepto abſtinent Turcæ. Aquam vero varie præparatam & potum Caffe omni fere hora calide ſorbillant. Unde quidem tantus ſalium non eſt proventus, &, ſi qui ſint craſſiores & ſylveſtres, a partibus aquæ & Caffe facile diluuntur & abſorbentur, atque vel per inteſtina vel veſicam foras ejiciuntur. Accedit eduliorum mira ſimplicitas a fermento gaſtrico non difficulter ſubigendorum, teſte Busbequio c. l. *Homini autem cibus utiliſſimus ſimplex, acervatio Saporum peſtifera & condimenta pernicioſiora.* Juxta Plinium Hiſt. Nat. L. XI. cap. LIII. Hinc videmus quosdam podagricos & nephriticos accuratiſſima ſervata diæta paroxiſmos horum affectuum ſuſpendiſſe, imo, quosdam plane liberos hac ratione vixiſſe impoſterum. E contrario ſi nullus ordo, nullaque asſumen-

ſumendorum habeatur ratio, nec communia & præſervantia interdum uſurpentur auxilia, facilis eſt in morbos lapſus, difficilis vero reconvaleſcentia. Baglivius c. l. L. 1. p. 82. inquit: *Calculus & Podagra plures interficiunt divites quam pauperes, plures Sapientes quam fatuos.* Celeb. vero Dekkers *Exerc. pract. cap.* I. p. 4. impoſſibile fere judicat ægrum indies in diæta peccantem bene curari poſſe. Proſper Alpinus *de Medic. Ægypt. L. I. c. XIV.* p. 26. ex diætæ peccatis & alios Ægyptiorum morbos & calculum deducit: *Renes*, ait, *permulti contraxerunt ex immodica venere valde calidos, ac debiles, in quibus cum multa confluat ea, qua corpora illa ſcatent, cruditatum copia, non erit mirum eos ſæpiſſime calculis conflictari, & ulcera etiam in iis pati. Calculorum etiam maxima iis occaſio eſſe ſolet aqua non recte purgata, clarefactaque, quæ quia diuretica eſt, facile ad renes permeat, terramque ſecum ducit, quæ amplius calore ſiccata, in calculos mutatur.* Incolæ Urbis Rotterdam. & præcipue vici Maſeland Schluys præ aliis Belgis laborant calculo, quod aliqui ſquillis [garnat] adſcribunt, quæ perpetuus fere eorum cibus ſunt.

Non tamen illud volumus, ac ſi ſolum & ſemper mala diæta accuſanda veniat. Vivunt quidam temperatiſſime & nihilominus lapidicinam circumferunt. Hæreditatis ſcilicet magna eſt efficacia, quatenus partium ſolidarum certa & peculiaris ſtructura liquidorum motus eorumque contentorum varie modificat. Niſi dicamus malam diætam fundamentum mali etiam hæreditarii conſtituere. Qui autem ex hoc morbo laborant, diriſſimis vexantur torminibus, ut aliquando mori ſatius ducant, quam diutius hos cruciatus perferre. Neque vero Lithotomia in ſolatium ſæpius expetita præ doloribus uſum ſemper habet, quod vel calculus major ſit vel alia occurrat circumſtantia. Varia itaque excogitata ſunt remedia, quibus calculum in veſica ſolvere tentarunt. Hactenus autem nemo fortaſſis repertus eſt, qui calculum jam factum & ſolidum ita ſolvere ſciverit, ut inſtar mucilaginis vel ſabuli ex urethra prodierit: Quod interiores Veſicæ tunicæ textura

delicatior ſit, quam ut liquidorum corrodentium vim ſuſtineat. Vivebat ante aliquot annos Amſtelodami Germanus quidam, Metallurgus & Chymiæ ſcientia clarus, gloriabatur ille, ſe poſſidere liquorem, quo calculum in veſica diſſolvere poſſit; Sed ex eo hominis levitas vel vanitas judicari poterat, quod ipſe ſibi bis ſecari calculum curaverit. Extra corpus quidem ſpiritus Nitri & Terebinthinæ in comminuendis calculis tam veſicæ urinariæ quam felleæ officium faciunt, nec minus utiles ſunt interius hauſti, ſed tam late non patet eorum virtus aut energia. Monconys *Voyag. Tom. 1, pag.* 5. ſanguinem vulpis totum calidum veſicæ injectum ſolvere calculum ſibi perſuaderi, ut alia multa, paſſus eſt. Melius ii procedere videntur, qui curam palliativam in hoc caſu inſtituunt, & calculos mucilagine quadam obducere, cumque veſica unire tentant, monſtrante hoc beneficium ſ. auxilium ipſa natura in diſſectionibus inſtitutis. Retulit nobis Vir quidam Ampliſſimus & amiciſſimus laboraſſe quendam Pariſiis calculo veſicæ, eumque ob ſummos dolores apud animum conſtituiſſe Lithomi manum utut crudelem experiri. Exploratur cathetere calculus, & præfigitur ſectioni dies. Interea dolores immaniſſimi poſcunt aliquod remedium, præbetur a laudatiſſimo hoc viro pulvis anodynus cinnabarinis aliisque conſtans, & ſitus corporis declivis, cruribus aliquo modo elevatis, imperatur: Leniuntur brevi temporis ſpatio dolores, & calculus evanuiſſe viſus eſt. Noluit itaque periculo corpus exponere; poſtea etiam liber a doloribus vixit. Simile quid Hafniæ accidiſſe ab eodem accepimus. Nullum eſt dubium, calculum adhæſiſſe tunicæ interiori Veſicæ, & mediante mucilagine in unum quaſi corpus cum eadem coaluiſſe. Si vero nimis magnus non ſit absque læſione aut ſectione extrahitur, quod facilius in fæminis ob urethræ ſtructuram ſeu conformationem quam in Viris peragitur.

Rara eſt obſervatio, quam ſuppeditat eruditus Baile in Novellis Reipubl. literariæ anni MDCLXXXVI. de magno lapide ſpon-

ſponte a fæmina excreto, ita autem traditur: Fæmina honeſta a ,
longo tempore mihi probe nota per XXV annos & quod excur- ,
rit lithiaſi miſere vexata ea omnia paſſa eſt , quæ huic morbo ,
quando crudeliſſime ſævit, ſunt familiaria, cruciatus nempe in- ,
tolerabiles, & pene continuos, ſtranguriam ſubinde recurrentem, ,
tanto cum urinæ ardore, ut partium vicinarum eroſio ſumma & ,
quotidiana cura vix præcaveri potuerit: Sic dies ſine dolorum ,
intermiſſione, noctes ſine ſomno, vitam totam ſine ſpe, inter ſu- ,
os ejulatus & amicorum commiſerationes infeliciter trahens, a- ,
nimo & corpore fracta, & vitæ pertæſa, unicum a morte, quam ,
& credidit & optavit vicinam exſpectavit remedium. Sed ali- ,
ter benignæ viſum eſt naturæ; XV enim Calendas Martii hujus ,
anni MDCLXXXVI, cum ad cubitum ſe pararet, & more ſolito ,
urinam reddere vellet, ſuppreſſam omnino ſenſit, non mirata rem ,
ſibi valde familiarem, arreptâ aquâ, ut partes vicinas pro more ,
ablueret, inſolitam ibi percepit duritiem, quid rei eſſet ignara, ,
nec multum ſollicita, ſed ad exonerandam veſicam imprimis in- ,
tenta poſt brevem per cubiculum deambulationem rurſus ſe ad ,
matulam compoſuit. Quid fit? dum urinam expellere nititur ,
ecce eam leviſſimo, imo nullo fere dolore calculum prægrandem ,
cujus pondus XXIIX drachmas medicas cum dimidia æquabat eje- ,
cit, rem tam inexſpectatam juxta ac felicem aliquantiſper contem- ,
plata familiares convocat, ſanitatis per miraculum, ut ſibi videba- ,
tur, reſtitutæ, & gratiarũ quas Deo redderet teſtes futuros. Vident, ,
gaudent, gratulantur. Ea nocte placide dormivit, & ab eo tempore ,
doloribus antiquis liberata ſana & hilaris vivit quotidie habitior fa- ,
cta, etiamſi jam agat annum tertium ſupra ſeptuageſimum. ,

Anno MDCLIII Uxor Joannis Keßlings Werdera in Marchia Brandenburgica oriunda ſpatio ſeptem annorum magnas moleſtias cum doloribus in regione pubis ſenſerat; Nunc vero atrociſſimis excruciabatur doloribus, & urinam reddere nequibat. In conſilium vocatus exploravi ſtatim digito & inſtrumentis do-

loris ſedem, atq; comperi magnum lapidem collo veſicæ inhærere tam firmiter, ut moveri non poſſet. Non tantum itaque fotus, ſed & unguenta applicui & balnea adhibui: Quando in balneo ſedebat mulier, forcipe aliquantulum movebam lapidem, deinde materia mucilaginoſa per ſyringam in muliebria injecta bis vel ter pulverem pellentem exhibebam. His remediis effectum eſt, ut calculus magis protruderetur. Apprehendo tandem illum forcipe & per meatum urinarium dilatatum pedetentim, &, quantum fieri poterat, commode extraho. Sed huic mediante tenaci mucilagine adhærebat alius, qui per viam nunc tritam facilius ſequebatur. Figura in Tabula expreſſa ambos oculis ſubjicit. Poſtea lenientibus, demulcentibus & vulnerariis uſus ſum. Reſtabat adhuc urinæ incontinentia, ſed hæc remediis adhibitis etiam ceſſit, & mulier integra gaudens ſanitate calculos hos Sereniſſimæ Electrici Brandenburgenſi offerens victum & amictum per totum vitæ tempus accepit.

OBS. XLVIII.

GANGRÆNA LETHALIS EX CALCULO.

ANNO MDCLIII die decimo quinto Auguſti vocabar in oppidum quoddam ad Sereniſſimam quandam Perſonam, quæ ex aliquo tempore calculo laboraverat. Ante paucos vero dies dolores præprimis increverant, tandemque duo calculi phaſeoli magnitudine exquiſitiſſimo partium delicatiſſimarum ſenſu comitante per meatum urinarium prodierant; tertius vero, quoniam grandior cæteris, pone glandem in dicto meatu hærebat: Unde præter dolorem & urinæ ſuppreſſionem ingens tumor ſcrotum & totum virile membrum occupabat. In id igitur, præſente quodam Medico, incubui, ut tumor auferretur & dolores lenirentur. Effeci etiam feliciter illud utilium remediorum applicatione, præprimis cum quotidie ope catheteris uri-

nam

nam in veſica collectam emitterem ; partes ſcilicet detumeſcebant, & calculus quidem ad anteriora paulo magis propellebatur, ſed ob magnitudinem neq; ſponte neq; forcipe apprehenſus, anguſtias eas eluctari poterat, occludebat potius urethram penitus, ut urina profluere nequiverit. Nullum reſtabat remedium, quam dictam urethram in principio glandis usque ad lapidem inciſione facta ampliare, ſicque calculo viam facere. Huic autem conſilio reſiſtebat Medicus, & præterea alios in partes ſuas trahens metum, quem de gangræna, quæ facile ſupervenire poſſet, incutiebam, vanum reddebat eloquentià, addens, ſe gangrænam, ſi quidem jungeretur præſenti malo, emplaſtro ſuo Lunari non difficulter curaturum eſſe. At enim vero de nocte hoſpes hic malignus corpus ceu domicilium mentis ingreſſus partes genitales, veſicam, & abdomen occupans, integrum tandem breviſſimo tempore ſubvertebat, nec emplaſtra Lunaria aut Solaria hoſti ejiciendo paria fuerunt.

In Viris, diximus, calculi licet minores non tam commode protrahuntur ex Urethra, quod longior exiſtat, quam in fæminis, vel ſitus eorum perverſus ſit, quo minus exeant. Obſtruitur itaque Urinæ meatus, & ex collectione ſeri renalis ardor oritur cum dolore diſtenſivo regionis pubis ; & quod miſerrimum eſt, perpetuus adeſt in impotentia hac mingendi conatus. Diſtenduntur inde partes urinam continentes ſæpius in immenſum. Renis ſiniſtri pelvim excreviſſe in eam amplitudinem, ut ſuppleret commode vicem veſicæ urinariæ obſervavit Ampliſſimus Tulpius *Obſervat. L.* II. *cap.* XLIII. Experientiſſimus Dekkers renem ſiniſtrum ita extenſum aliquando invenit, ut tres pintas caperet, dextro rene parvo, & uretere in ligamentum veluti mutato, ut retulit in Collegio Caſuali. Vidimus in ædibus Doctiſſimi Leusdenii Trajecti ad Rhenum ureteres inteſtinum mediocre vaſtitate æquantes . Graviſſimum ſcilicet malum eſt, Iſchuria ex calculo, quod niſi paucorū dierum decurſu tollatur, homini ut plu-

rimum moriendum eſt; quod ex ſtagnatione urinæ, ſive ea ſit in renibus ſive in veſica, nervoſum genus debilitetur, & ſopores, lethargi etſ. oriantur, tum etiam ex influxu ſucci nervei & ſangvinis denegato partes tandem emoriantur corpus humanum conſtituentes, & tota œconomia animalis penitus deſtruatur. Obſervavimus tamen Serveſtæ anno MDCLXXXIX in Cubiculario Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Eutinenſis, urinam in nonum usque diem ſuppreſſam; Ingvina & regio lumbaris valde intumuerant: Tandem cum ſemi cupio ureretur, Urina excuſſo prius calculo maxima quantitate prorupit, Virumque optimum hoc beneficio ſervavit. Rediens vero poſt aliquot annorum lapſum eadem difficultas viventium numero ipſum exemit. Laudatus D. Dekkers *Exerc. Pract. cap.* VIII. *p.* 700. Fabrum ferrarium iſchuria graviſſimis ſymptomatibus ſtipata, laborantem Venæ ſectione, diureticis fomentoque regioni pubis impoſito undecimo morbi die, urina affatim reddita curatum vidit. Tulpius vero c. l. Iſchuriam (non quidem a calculo) a plenilunio ad declinantis Lunæ tempus durantem, ni brachii vena exſolveretur, in Theologo Brittanno aliquoties ſuperatam: & in Juvene ad integros octodecim dies perſiſtentem, & ſangvinis e naribus fluxu, frequentique macularum in habitu corporis eruptione feliciter ſublatam obſervavit. Sed hæc inter rarius contingentia referri merentur. Non poſſum quin elegantiſſima Eruditiſſimi Conſulis verba ex dicti Libri cap. XLV, ubi obſervationem fæminæ ex ſuppreſſione urinæ per octodecim dies mortuæ allegat, adſcribam. Ita vero infit: Sed dicat quis: quem terminum ponunt Medici morti, exſurgenti a ſuppreſſo lotio? annon alios citius, alios vero occidit tardius? Valentia corpora ut interdum excurrunt diem vigeſimum: ſic attingunt infirma vix ſeptimum cel octavum. Certum eſt, aliquos duraſſe ad undecimum, & tamen ex toto iterum convaluiſſe. Sed poſt illum diem, equidem certe vidi neminem enavigaſſe periculoſum hoc ſyrtium æquor. Quamvis enim cedat

dolor

dolor & fiuat iterum lotium: reddidit tamen diuturnior illa mora urinam, interea loci, usque adeo acrem, & veſicam ita effœtam, ut ne præſtantiſſima quidem medicamenta poſſint ab interitu vendicare naturam, hac ratione, non ficte, ac ſimulate, ſed plene emortuam. Eodem morbo ſed ex calculis ante quinque, ſi recte memini, annos obiit Petrus Schumacherus in Norvvegia, magnus quondam Regni Danici Cancellarius, Comes in Griffenfelt, in cujus corpore, poſt mortem, ſequentes calculi reperti ſunt, qui in Tabula quinque figuris ære inciſi exhibentur. In pelvi ſcilicet renis dextri minores ſex, numero I, reperti ſunt; in rene vero ſiniſtro penitus conſumto, & membranâ tantum conſtante ſex calculi, numero II latuerunt, & quisque eorum propria tunica concluſus fuit; præterea quinque minoribus, quatuor, numero III adhæſerunt. Veſica urinaria comprehendit magnum iſtum numero IV, tres cum dimidia uncias pondere æquantem Quatuor tandem, numero V, ſcabri & ſuperficie inæquali præditi collum veſicæ oppleverunt, maximasque moleſtias Viro in omni ſcientia verſatisſimo usque ad extremum halitum concitarunt.

Cæterum in præſenti caſu Gangræna tam cito membra occupans non tantum a ſtagnatione Urinæ, ſed læſione ſenſibiliſſimarum partium a calculis exeuntibus, & reſtante majori facta videtur derivanda eſſe. Quæ equidem præcaveri potuiſſet ſectione inſtituta. Cujus beneficio urina profluxiſſet, & ſcabritie calculorum attritæ & vulneratæ partes medicamentorum uſu demulceri & perſanari fortasſis potuiſſent. Utut enim copioſisſimis vaſis ſangvineis turgeat glans, inferior tamen ejus pars tanta eorum copia non gaudet, uti demonſtravit dexterrimus Anatomicus Ruyſchius *Obſerv. Anat. Chir. obſ. C.* Et feliciter hanc inciſionem peragi teſtis eſt Dekkers c. l. p. 697. ubi ait: *Quos* (ægros ſcilicet, quibus in urethra ob magnitudinem calculi perſiſtunt) *plerumque breviter & mox curavimus facta nempe in Urethra* (*digitis alterius manus calculum leviter comprimendo*) *inciſione, eo in loco, ubi calculus hæret, & ſponte*

te

te quaſi tum elabitur calculus. Sed efficacius teſtimonium videri poteſt, quod perhibet celebris Pariſienſium Lithotomus Francois Tolet *dans le Traité de la Lithotomie chap. X. p. 60. L'extraction de la pierre qui eſt dans la verge, lors qu'elle eſt eloignee du ſphincter de la veßie ſe fait encore autrement. Apres avoir retiré la peau du prepuce le plus qu'on peut vers la racine de la verge, on fait une ligature au balanus entre la pierre & le pubis; ou bien on tient la verge & la peau ſujette avec les doigts devant & derriere l'endroit, ou on a remarqué la pierre; enſuite on fait une inciſion ſur la pierre, un peu lateralement à l'uretere pour faire ſortir la pierre par le mojen de la curette introduite dans l'inciſion. La ligature oſtée, la peau relachee, l'inciſion ſe ferme & guerit par le beaume de l'urine ſans autre remede.*

OBS. XLIX.

INGENS TESTICULI TUMOR.

NOn ſunt revera tam multi morbi aut eorum genera, ſed variæ paucorum ſpecies aut Symptomata: Unam quippe ſæpius agnoſcunt cauſam & a circumſtantiis tantum variantur. *Morborum omnium*, inquit Hippocrates Libro de Flatibus cap. IV. §. 1. ſqq. *unus & idem modus eſt. Locus vero ipſe eorum differentiam facit. Quare videntur quidam morbi interſe nihil ſimile habere, propter diverſitatem ſcilicet locorum, cum ſit tamen una morborum omnium & ſpecies, & cauſa quoque eadem.* Conficitur ergo Remediorum claſſem longe compendioſiorem fieri poſſe, & quæ ex. gr: Hepatica vulgo dicuntur, & ſtomachica, & ſplenetica, & cephalica, & arthritica etſ. eſſe, cum ea ſint vel aperientia, vel abſorbentia, vel temperantia & diluentia. Patitur conſequenter Specificorum nomen tam celebre ſuam latitudinem; vid. van der Becke *c. l. L. I. p.* 198. Et quanquam partes quædam corporis humani diverſiſſima ab aliis gaudeant ſtructura, & vel tunicas, vel vaſa, vel alia præ cæteris habeant peculiaria; morbi tamen non ita diverſi & diſtincti exiſtunt. Pleraque vitia a fluidis

dis oriuntur, pauciſſima a ſolidis: Quorum fundamentum in fluidis maxime quærendum. Celeberrimi ideo Viri ad certas quaſi familias Morborum turbam redigere non vano ſucceſſu conati ſunt. Fuit illud Experientiſſimi Sydenhamii votum Præfat. Oper. p. 13. *Expedit*, dicens, *ut morbi omnes ad definitas ac certas ſpecies revocentur, eadem prorſus diligentia & ἀκριβείᾳ, qua id factum videmus a Botanicis Scriptoribus.* Confer. præter alios J. Bernh. Gladbachii Praxis Medicæ Idea noviſſima, in qua omnes morbos ad quatuor cardinales reduxit, Febrem ſcilicet, Scorbutum, Cachexiam & Catarrhum. Peculiarem tamen quæque fere pars læſa ratione ſuæ conformationis ſeu diſpoſitionis & ſymptomatum requirit curationem, & non omnibus unus applicari poteſt calceus. Hic vehementia, illic mitia poſtulantur medicamenta, & pro ratione morbi varia. Regionum quoque ratio habenda eſt: Sic Medici Neapoli viventes omnia medicamenta majori doſi exhibent, quam alibi, quia corpora ſicca; teſte Bartholino *Epiſt. Cent. I. ep. 49.* In tempore etiam multum ſitum eſt, quo aliquid adhibetur. Juxta Celſum enim L. III. c. II. Quædam remedia increſcentibus morbis plura inclinatis conveniunt. Et quæ aliæ obſervandæ ſunt circumſtantiæ. Hiſce univerſum morborum ſyſtema & partium corporis vitia luculentum præbent teſtimonium. Partes genitales variis affliguntur morbis, & propter ſenſum exquiſitum gravius ſæpe quam aliæ ægrotant. Structuram earum ſi reſpicias, multum utique ea differt a reliquarum partium habitu, imo major hic quam alibi viſitur apparatus & numerus, habent ſcilicet Genitalia Virorum membranas, ductus, & vaſa propria. Vitia tamen eorum ſeu Morbi non adeo ab aliis differunt: Quoniam vero teneritudine & ſenſu reliquis præpollent, & ex levi cauſa magna ſuſcitant pericula, difficilem habent judicationem, & prudenti circumſpectione medicamenta, (non quidem a reliquis diverſa & ſpecifica) varie miſcenda & iis applicanda veniunt. Propter ductuum vero mul-

titudinem vitia hic pertinacius hærent & nidulantur; ut interdum non medicamenta ſufficiant iis tollendis, ſed ferro opus ſit.

Afficitur ſæpe unum ſcroti latus, & unus tantum teſticulus, altero ſalvo manente. Cujus ratio eadem eſſe videtur quæ in cerebro, ubi propter ſinum falciformem integritatem alterius lateris conſervari videmus; teſte Celeberrimo Slevogt diſſertatione de dura matre §. XXIV. & obſervatione III præcedente. Ita etiam providentiſſima Natura ſeptum hic poſuit, quod primus in lucem protraxit Anatomicorum Princeps Fredericus Ruyſchius, & in epiſtola Anatomica Problematica prima deſcripſit ac delineavit. Antea enim lineam intermediam ſeu ſuturam tantum cognoverunt Anatomici. Copioſiſſimis præditum eſt vaſis ſangvineis, quæ omnium optime conſpiciuntur ſi injectione liquoris cerei colorati diſtendantur, & dicta membrana præparetur. Eo enim injecto teſtes ab utroque parte avelluntur, & ſeptum illud per aliquot dies aquæ immittitur, poſtea abjecta aqua oleum terebinthinæ affunditur, & huic exemtum caute & cum providentia ſiccatur, ita enim induratur, & longiſſime cum annexis conſervatur.

Anno MDCLXXX Præfectus quidam Militum, viginti ſex circiter annorum, menſe Martio, Gonorrhœa ſed leniori laboravit, quam Chirurgus caſtrenſis paucis diebus ſuppreſſit. Poſt quindecim dies vino ſaucius cum incerto greſſu domum tenderet, ob lubricitatem viæ dexter pes in latus exceſſit, ita quidem, ut crura inſigniter diſtraherentur. Statim inde male habuit, dolorem enim ſenſit, teſticulus dexter (ſiniſtro integro manente) intumuit, & corpus calore perfuſum eſt: Timuit itaque Miles, ne partes quædam hac violenta divaricatione fortasſis ruptæ cauſa exiſtant Symptomatum. Magnitudine æquabat teſticulus pugnam eo tempore, cum adhiberemur in conſilium, alio enim per ſeptem dies jam uſus erat, adjunctis duritie & dolore inſigni. Eadem itaque veſpera adhuc ordino epithema emolliens ſimulque diſcutiens, & altero mane purgans præbeo, quo humores cho-

leri-

lerici educantur e corpore; Sequentibus diebus præter epithema ſubligaculum cum ſacculo herbis convenientibus repleto confici & applicari curo, in quo tumidus teſticulus commode quieſcens pondere ſuo, ſi propenderet, non obſit. Decoctum etiam aperitivum & diureticum aliquoties in die hauriendum exhibeo. Sed cum per aliquot dies negotiorum aliorum cauſa urbe abeſſem, rediens ægrum inveni valde debilem, cum magno calore, ſiti ingente, & ſiccitate oris conflictantem. Tumor valde auctus erat, ſeque cum calore in illud latus ſuperne & inferne extenderat, ita ut abdomen & lumbi & crus dextrum unius partis peccata luerent Potionem alterantem ordinavi, qua motos in corpore componerem fluctus. Teſticulo maxima parte duro, in uno tantum loco molli Emplaſtrum filii Zachariæ impoſui, alteroque die venam apperui; Interea etiam nihil, quod ad diſcuſſionem & attenuationem ſtagnantium humorum conferret, omiſſum eſt. Cum autem metus de apertione paulatim imminueretur, materia magis obſequente reddita, majori animo diſſipationi internis externisque ſtudui remediis, quibus tandem effectum eſt, ut penitus cederet morbus. Præfectus autem militum priſtinam recuperaret ſanitatem.

OBS. L.

HERNIA CARNOSA MEDICAMENTIS CURATA.

OPtime monet Erudititiſſimus Sennertus Prax. Med. Libro III. Part. II. S. I. c. VII. *diligenter videndum eſſe, ne Hydrocele vel alius teſticuli tumor pro carnoſa hernia habeatur; uti interdum accidit, ſi aqua profundius lateat, & extra, etſi candela adhibeatur, nulla ſui ſigna exhibeat.* Affert in dictorum confirmationem exemplum ex Foreſto Obſerv. Libro XXVII. Obſ. XV. Schol. Hic diligentiſſimus Scriptor in allegatæ obſervatio-

tionis Scholio ſigna Sarcoceles recenſet; *Dignoſcitur,* inquiens, *hæc tumore, duritie & colore ubique ſui ſimili. Eſt enim tumor rotundus, oblongus, durus, teſticuli formam referens, & pedetentim auctus &c. Videndum tamen,* paulo poſt adjunjit, *ne ob duritiem decipiamur*; & ſtatim hiſtoriam de Joanne Cornelio, a Sennerto allegatam, ſubnectit. Accuratiſſimus Lommius Obſervat. Medic. Libro II. p. 261. evidentiora fere tradit, quando de Sarcocele ita pronunciat: *Tumor etiam perpetuus, ut in ſuperiore,* (ſcilicet Hydrocele) *eſt, ſed pondere gravior, coloris ubique ejusdem, neque pulſatus reſonat, idemque longiore ſpatio temporis paulatim increvit.* Ideo autē differentia diligentius addiſcenda videtur, quod, ſi hydrocele aut alius tumor ſit, tam efficaci Medicina non ſit opus vel aliter procedendum veniat. Barbette Chirurg. Part. I. c. XXV. p. 115. inquit. *Paraſtatæ adeo intumefactæ ſunt quandoque teſticulis imprimis ſchirroſis exiſtentibus, ut herniæ carnoſæ ſpecie facile te deciperent curioſe ad omnia haud attendentem.* Et paulo poſt: *Vaſa ſpermatica ſcroto detenta ſæpius naturæ luſu ipſos teſtes magnitudine excedunt, nihil incommodi, præter metum ſolum, adferentia.*

Non tamen ex effluxu aquæ poſt ſectionem; vel aliam per medicamenta apertionem factam ſatis firmiter concludere licet, ſi evidentiora non adſint ſigna, tumorem fuiſſe aquoſum ſeu Hydrocelen, & non carnoſum ſeu Sarcocelen, pro quo huc usque habitus ſit. Cauſa potuit eſſe Sarcocele, collectio aquarum effectus. Fieri poteſt, ut ex continuo tumoris carnoſi incremento vaſa lymphatica interdum rumpantur, ſuumque liquidum effundant. Tum vero judico impoſſibile eſſe, ut hernia carnoſa diu geſtetur integra, quemadmodum alias non raro fit: Iſta enim aqua partes vicinas ad corruptionem diſponit, & perpetuo aucta magis diſtendit ſcrotum & exitum quærit. Accedit, tumores ſeu hernias tales interdum complicari, exempla vid. ap. Guil. Fabricium Hildanum Obſ. C. IV. Obſ. LXV. & LXVII. Quando vero

omnia

omnia indurantur in hoc affectu, hernia, ſive teſticulis innaſcatur ſive adnaſcatur, ad plures annos, imo ad mortem usque, ſi accuratam diætæ habeant rationem ægri, & externa fortuita non ſuperveniant, geſtari poteſt. Materia enim craſſa & ſolida, torpore veluti quodam ſepulta quiete jacet, nec motibus humorum inteſtinis commovetur, quorum circulatio per informem indigeſtamque hanc molem ob diſtorſionem & compreſſionem admodum tarda exiſtit. Hinc etiam ſine dolore plerumque obſervatur.

Curatio talium herniarum eſt difficillima, imo ſæpius impoſſibilis per medicamenta; *quod nimium occalleat maſſa illa, & mille plexibus nervoſis, iisque ſolidis contrahat invictam duritiem,* ut loquitur Celeberrimus Borrichius in Act. Hafn. Vol. I. obſ. XCVII. p. 189. *Difficile*, inquit Foreſtus cit. Libro Obſ. XXIII. Schol. *in principio, & potiſſium magis in incremento curatur Sarcocele.* Curatorum tamen exempla proſtant, quamvis rariora: Præter ſequentem obſervationem, Hiſpanus ſeptuagenarius apud Foreſtum c. l. tum etiam Scultetus in *Armamentario Chirurg. Part. II. Obſerv. LXIII* fidem faciunt. Non video autem ſufficientem rationem, cur hiſtoriæ a Sculteto allegatæ pro Hydrocele magis quam Sarcocele militent; aut cur Sarcoceles (ſi tales, uti fide digno Scriptori credendum eſt, fuerunt) medicamentis curari nequiverint? Non exprimitur enim an confirmatæ fuerint herniæ, an non. Ex magnitudine autem in Nobile deſcripta provecta tumoris ætas non ſufficienter conſtat, quod pro diverſa conſtitutione partium ſolidarum & fluidarum, diverſo læſionis modo, aliisq; circumſtantiis nunc tardius nunc celerius increſcat talis hernia. Probat certe Matthiolum, & Sculteti curam Illuſtris Wedelius *Exerc. Patholog. Therapeut. VI. p.* 100. *In tumore,* inquiens, *teſtium, ſarcocele, hernia varicoſa pulvis radicis ononidis optimus eſt, Matthioli noſtroque experimento.* Et Doctiſſimi Viri Ettmullerus, & Hofmannus in Comment: ad Shrœderum. Conſtat autem hæc radix

ſale fixo reſolvente & diuretico, quo obſtructiones reſerat, & reſolutas partes craſſas diſſipat aut ejicit. Si vero contingat, tumorem talem longinquitate temporis veluti occalleſcere & intimius in mæandris ductuum aut membranarum latibulis nidulari, medelam tamen poſcere, vel in motum agi & exulcerari, deſperatum malum evadit, nec remediis ſed ſolo ferro exſtirpandum eſt.

Cæterum præter neceſſitatem ſeſe torquent Guilhelmus Fabricius Hildanus *Cent.* IV. *obſ. LXIV. & LXVI.* & poſt eum Sennertus *c. l.* & Malachias Geiger, fidelis Hildani, Foreſti & Sennerti exſcriptor, *Kelegraphia cap.* II. *p.* 17. & 21. in invenienda cauſa, cur hernia carnoſa dextrum, aquoſa vero ſiniſtrum occupet teſticulum. Inter fortuita illud numerare auſim, præprimis cum exempla proſtent Sarcoceles in ſiniſtro, & hydroceles in dextro latere repertarum. Ratio præterea, quam ex diverſo venarum ſpermaticarum ortu eliciunt, nulla eſt, & ignorantiam circulationis ſanguinis indigitat. Venæ enim ſpermaticæ dictæ nihil ad teſtes, ſed ab illis ſanguinem revehunt. Si tamen ita eſſet, contrarius ſibi eſſet Hildanus, dum Obſ. LXIV. nitroſi aliquid verſus ſiniſtrum teſtem fluere vero eſſe credit ſimile, quod pituitam viſcidam & craſſam diſcutiat, diſſipet, exſiccet putredinique reſiſtat. Cur enim nitroſum illud tantarum virtutum aquam in ſiniſtro latere colligi permittat? Non ſalvat illum, quod Obſ. LXVI ex Dodonæo referat, renem ſiniſtrum ſemper in hydrocele laborantibus male habuiſſe, cujus tamen rei ſufficientes non adſunt obſervationes, idem enim erratur error circa originem vaſis ſanguinei. Illud autem certum eſt, ſanguinem teſtes allabentem ab illo qui nondum ſalutavit renes ſecretum fuiſſe. Præterea conſtat, renes ſiniſtros corruptos & vitiatos in ſectionibus anatomico practicis repertos eſſe in illis hominibus quorum teſtes exſtiterunt ſaniſſimi, nulloque tumore fœdati. *Præſtat* itaque & hic, *ut in eo magis elaboremus, ut fideliter curemus, quam ſubtiliter ediſſe-*

ediſſeramus; verba ſunt diligentisſimi Foreſti L.I. de Febr. Obſ.XIV. in fine Scholii.

Vir quidam Generoſus & Excellentiſſimus anno MDCLXXII. menſe Auguſto equitatione fortiori compreſſit ſcrotum cum teſte ſiniſtro. Inde dolor exortus eſt & intumeſcentia quædam. Quorum ſymptomatum cum non tam magna haberetur ratio, & varia itinera ſuſciperentur ab illo, increverunt eadem, atque in ingentem tumorem totum abiit ſcrotum. Præter externa varia, ab Eruditisſimis Viris Schneidero & Röſelero interna ordinata, & ab ægro diligenter uſurpata ſunt: Reſolventia, Diſcutientia, Roborantia, Decocta Lignorum & Infuſa. Sed omnia, ut videbantur, incaſſum. Dolor potius & tumor æqualia ſumſerunt incrementa, & ægroto moleſtisſimam reddiderunt vitam. Tandem materia intus latens ſponte ſibi ſua quatuor in locis viam fecit, & exteriorem tunicam perrumpens in magna quantitate profluxit. Detumuit inde ſcrotum, & dolor aliquo modo mitior factus eſt. Quanquam vero detergentia & mundificantia ad mixtis interdum pro re nata paucis adſtringentibus tam in foramina injicerentur & imponerentur, quam intus cum reliquis adhiberentur, vulnus tamen ſordidum manſit, & citam, non tamen omnem medelam ſpernere viſum eſt; quin ſinuoſum & quaſi fiſtuloſum factum ad os tandem usque extenſum eſt in parte laterali dextra circa os pubis in tumorem ſimul elevata. Præprimis autem Vere & Autumno majorem materiæ ejiciebat vim quam alio tempore. Omnes itaque & grave & chronicum eſſe malum prædiximus, accuratisſima diæta & continuo medicamentorum uſu fortaſſis ſuperandum. Sectionem enim nemo noſtrum ſuadere audebat, (licet Hieronymus Fabricius ab Aquapendente cum Sarcocele pileum magnitudine æquante brevem inſtituerit proceſſum, ſed reſectam feliciter curaverit, non omnes tamen ſectiones æque feliciter cedunt) quia tam magnus erat tumor ſcroti, & vaſa ſpermatica, aliæque partes in corpus usque eo ſimul affectæ erant. Conſultius itaque

viſum

viſum fuit, prælaudatis remediis tantum pugnare, & morbo ſenſim vires adimere, quod quidem non aliter quam temporis longinquitate effici poterat. Quod noſtrum conſilium, noſtramquè oppugnandi hoſt s rationem fortuna ſecundavit. Cum enim ante infantile ſcrotum æquaret caput, in principio anni MDCLXXV multum imminutum unius pugni erat magnitudine. His ita ſeſe habentibus ad aliud munus Dresdam vocatus Vir Excellentisſimus, noſtræ amplius curæ ob locorũ diſtantiam ſubeſſe nequivit, ſed alteriꝰ, ſcilicet Georgii Sperlingii celebris Chirurgi Electoralis ſeſe commiſit, & ſanitatem tandem exoptatiſſimam anno MDCLXXVI. menſe Julio recuperavit.

Sed non incongruum videtur Viri Illuſtris litteras ad me die nono Octobris ejusdem anni datas hic adjungere. Tandem inquit, DEI benignisſimi nutu, manum commodante Domino Sperlingio, Chirurgo expertisſimo, ex morbo pertinacisſimo convalui, ita quidem ut nunc melius, quam unquam, valeam. Methodus laudati Chirurgi hæc fuit: Primum inſtrumento ſubtili in vulnus digiti longitudine immiſſo, illud perquiſivit, mox eodem tria vel quatuor foramina minora, unum vel duos articulos profunda & ſuperius prope urethram exiſtentia pertentavit; exque certis ſignis ulcus fiſtuloſum adeſſe collegit. Ampliavit itaque illud turundis, (quell und eßmeißeln) primo minoribus mox majoribus intruſis donec iisdem ad fundum perveniret: Tum autem obſervavit aliquot osſium fruſtula turundas etiam nigredine inficientia a reliquis ſeceſſum feciſſe: Imo ipſemet ex concesſione Chirurgi, præprimis cum circumſpectius & cautius quam alius aliquis inquirere poteram, ne dolores excitarentur, ferrum ad manus ſumens, eadem in oſſa impegi, unde non alius exoriebatur ſonus cum admiratione omnium percipiendus, ac ſi ad lapides arenarios alliditur. (es knirſchte wie Sandſteinlein) Majus propterea reddidit vulnus turundis prædictis Chirurgus, ut forcipe oſſium fruſtula commode eximere potuerit: Sæpius enim par-

tes

tes groſſi, ternarii, aliaque magnitudine extractæ ſunt. Hoc rerum ſtatu omni modo coalitum vulneris eo usque impedivit Sperlingius, donec turundæ neque inficerentur amplius nigredine, neque oſſa, ſed caro inſtrumentis intruſis reſiſterent. Tunc autem loco Cataplaſmatum, quæ mane & veſperi, tam calide, ac ferri poterat, hactenus impoſuerat, emplaſtra nigra, item decocta ſeu epithemata exſiccantia imponere incepit. Inde magis magisque decrevit tumor, donec tandem foraminibus ſucceſſive coeuntibus ſcrotum & vicinæ partes priſtinam acquirerent magnitudinem, & ego exoptatiſſima pleniſſime fruerer ſanitate. Præprimis autem laudare debeo Decocta vulneraria adhibita, den Schweitzer und Strehler Wundtranck/ quæ non tantum multum materiæ corruptæ, ſed ipſa etiam oſſa exturbarunt.

OBS. LI.

HERNIA CARNOSA MEDICAMENTIS ET FERRO CURATA.

CUm antecedentem morbi hiſtoriam per litteras communicaſſem Danieli Hofmanno Chirurgo Freybergenſi expertisſimo, is in reſponſoriis ſuis die decimo Martii MDCLXXV ſcriptis, par pari referens, ſequentem retulit: Antè ſeptendecim circiter annos Georgius Zieger Paſtor Eccleſiæ in pago Ziegenhan tria miliaria Freyberga diſtante auxilium meum imploravit. Contraxerat ille ante viginti annos, cum Lipſiæ literis operam navaret Herniam carnoſam, quæ ſuccedente tempore ex diſſolutiore diæta continua incrementa ſumſerat, ut magnitudine caput humanum æquaret.

Non diu vero poſt inflammatio ſuperveniens cum multis puſtulis, magnum excitavit morbum. Accerſivit itaque balneatorem in vicinia viventem artis chirurgicæ non inexpertem. Verum morbus nullas fecit inducias, etſi medicamentis eidem iretur obviam.

am. Putredine enim correptum eſt ſcrotum, quæ brevi in gangrænam migravit: Æger vero in gravem inde febrem ardentem incidens, tandem deliravit. Extremum nunc eſſe morbum, proxima cognatione conjuncti aliique judicarunt. Circumſpiciunt tamen de Chirurgo & novo auxilio: Et quoniam Paſtoris decumbentis ſoror Freybergæ habitabat, meam illa implorabat opem. Poſtquam acceſſi ſcrotum totum nigredine infectum conſpexi; in dextro latere foramen erat pugni magnitudine, laciniæ huc atque illuc propendebant, fœtorque teterrimus inficiebat nares. Quid quæris? Fœdiſſimum erat ſpectaculum, & plane horridum, ut etiam anceps hærerem, an manus deſperato huic, ut videbatur, morbo admoverem nec ne. Uxor tamen ejus, cæterique neceſſarii precibus ſummis a me efflagitarunt, ut ſævienti malo quovis modo reſiſterem, nullum, ſi moriretur æger, famæ decrementum mihi timendum eſſe addentes. Prognoſtico itaque munitus curam aggredior. Primo adhibui decoctum, quod conſtabat ex herbis Cardui benedicti, Scordii, Vincæ pervincæ, Centaurii minoris, Plantaginis, Ophiogloſſi, Millefollii, Myrrha, & melle roſato &c. Hoc ſæpius purgavi & elui ſordidiſſimum vulnus, totumqne ſcrotum linteis eodem madidis & calidis involvi; Emplaſtra autem & ungventa non adhibui. Interne mane & veſperi ex Aqua Cardui benedicti Antimonii diaphoretici ex regulo facti & cum auro fermentati ſcrupulum unum propinavi. Sæpius etiam mala citria condita præbui aſſumenda. Hiſce ſpurcities brevi ceſſit & putredo. Quoniam vero dexter teſticulus totus corruptus erat, eundem cum laciniis dependentibus & emortuis ferro reſecui, ne pars ſincera traheretur. Deſcriptam medendi methodum retinui, donec certa ſalutis affulgeret ſpes. Tum vero decoctum adſtringens & roborans præparavi, & epithematis forma applicui parti affectæ; inde cutis nigrior a reliqua ſeceſſit, & quicquid ſupererat de ſcroto in naturalem magnitudinem contractum eſt. Sic aſſiſtente divino Numine præter plurimorum

ſpem

ſpem ſpatio ſeptem vel octo ſeptimanarum æger integre convaluit, & poſt decem demum annos hydrope obiit.

OBS. LII.

HERNIA CARNOSA SECTIONE CURATA.

ANNO MDCLXXVI. Menſe Decembri meum conſilium & auxilium ſollicitabat per literas Eberhardus Müller Paſtor Eccleſiæ alicujus, inſigni Sarcocele laborans. Ante annum, ſcribens, teſticulus dexter magnitudine nucis avellanæ auctus eſt. Hic tumor in principio erat mollis, ſuccedente vero tempore durior evadebat. Nova omnibus Noviluniis fiebat accretio, & primum quidem etiam mollis, poſtea durior reddita. De variis ſtatim circumſpexi remediis, ſed incaſſum omnia adhibita ſunt, & tumor quaque Lunæ revolutione majus ſpatium occupavit, & teſticulum non tantum totum replevit, & ad ſummum extendit, ſed etiam ligamenta & vaſa, quibus ille ſuſtinetur, pugni magnitudine obſedit, imo tam alte adſcendit, ut ureteres ſimul complecti videatur. Inde vero tribus in locis magnos patior dolores, nempe ſupra ſcrotum, circa renem dextrum, & in tendinibus femoris, ut neque ſedere, neque incedere, neque quiete, utut pauciſſima, frui queam. Quoniam vero hæc hernia latam nunc manum craſſa, & duos pugnos & amplius alta exiſtit, foramineque pertuſa eſt, nullum reſtare videtur remedium quam ipſa amputatio. Hoc etiam fuit judicium Excellentiſſimi Schneideri, tuum vero proximis exſpecto literis, ſique illud priori conforme eſt, & eum laborem in te ſuſcipere vis, elaborabo, ut Serveſtam propediem perveniam. - - Reſcripſi, affectum omnino eſſe difficillimum & graviſſimum, & ex relatione fere eluceſcere, ferro hic opus eſſe, ſe itaque bene facturum, ſi iter, quanta poſſi- affecti membri commoditate, ſuſciperet; me vero in amputatiot

ne peragenda non defore. Poſtquam huc venit, præſente Domino Medico attente conſideravimus partem affectam, & tandem conclusimus, non aliter patientem liberari poſſe a morbo quam Chirurgia manuali. Impoſita itaque ſunt talia medicamenta, quæ partes per conſenſum ob minus accuratam vulneris & affectus tractationem inflatas & dolentes demulcerent, & quodammodo reſtituerent. Dein præſtituta die, invocato prius divini Numinis auxilio, & ægro præparato, operationem aggreſſi ſumus; & ſumma ubique circumſpectione adhibita ſeparavimus a ſanis partibus tumorem, & feliciter tandem amputavimus. Vulnus poſtea decenter obligavimus, & ſucceſſu temporis integre conſolidavimus. Facies vero totius Sarcoceles per medium diſſectæ erat hæc: Cutis exterior dura erat & quaſi cornea; interiores membranæ, ut pergamenæ chartæ, præternaturali variaque materia diſtinctæ. A latere foramen erat ſeu apertura. Intus diſtinctæ quaſi cellulæ aqua flaveſcente repletæ. Alio loco variæ excreſcentiæ duriores. (Knoden) Subſtantia vero tumoris dura, veluti cancroſa aut ſcyrrhoſa & exulcerata, varii coloris, ut gryſei, rubicundi, albidi, etſ. in cellulas diviſa conſpiciebatur, in quarum aliquibus purulenta materia ſtagnabat. Teſticulus affectus colore livido & plane corruptus erat: Alibi ſubſtantia lardo ſimilis, cui aliquid inſtar gelatinæ item cerebri intermixtum, copioſa congerie vaſorum ſanguineorum diſtingvebatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

OBS.

OBSERVATIONUM CHIRURGICO-MEDICARUM LIBER SECUNDUS

OBSERVATIO I.

MERCURII SUBLIMATI NOXA.

A Multis jam dum ſeculis omnium fere oculos animumque in ſe convertit verſipellis Mercurius, Naturæ veluti prodigium, & Metallorum tyrannus, uti apellatur in Exercit. LXXX ſubtiliſſimi Scaligeri. Variis modis examini ſubjectus eſt nunc leniori, nunc maxime rigoroſo, nec tamen ejus natura, & intimior conſtitutio clare ſatis innotuit. vid. Boyle *de Utilit. philoſ. experim. Exerc.* III. §. 20. Aliqui ſulphur volatile & arſenicale, alii ſal volatile ſui generis, alii Sal potens alkali, alii ſal alkalicum amaricans, alii acidum, alii aliud hunc liquorem eſſe, aut in eo inſeparabile latere affirmarunt, nec tamen aſſertionum ſuarum ſufficientia protulerunt argumenta. Cum Sulphur, Salia etſ. ſi etiam adeſſent, non ſint conſtitutivæ, ſed potius acceſſoriæ ejus partes.

Sulphur enim illud ipſi adſcriptum nondum tam evidenter demonſtratum eſt, ut de eo dubitari non poſſit, *cum* [verbis utor

Abercrombii de Luis vener. absque ſaliv. Merc. cur. cap. III. p. 19. *nulla ignis vi ſulphureorum more flammam concipiat; Licet enim propellente igne in fumum abeat, fumus tamen is idoneo in vaſculo collectus in Mercurium iterum oculo conſpicuum, deperdito nullo ponderis ſui momento redit.* Recordor quidem, me aliquando adſtitiſſe, cum Mercurius vivus radiis ſolaribus per vitrum uſtorium collectis exponeretur, tumque ſenſiſſe odorem nares maxime ferientem; vaſculum tamen, in quo continebatur, & nota quædam poſt evaporationem remanens ſcrupulum non levem injecerunt, ut odorem hunc ex Mercurio eſſe non crediderim. Vocarunt Philoſophi ſulphur hoc externum peregrinum, quod tamen intime cum eo conjunctum ſit, originalem labem. Aliud Sulpuhr etiam ejus dixerunt internum, de quo Helmontius; Præcipitatio autem ejus ſola digeſtione promovenda huic probando non ſufficiens eſt, cum aliis partibus acceſſoriis hic effectus adſcribendus veniat. Nec a coloribus, pro adſtruendo Sulphure in Mercurio, deſumptum argumentum validum ſatis exiſtit. Evidens enim eſt, omnes colores a diverſa luminis modificatione ex varia ſuperficiei corporum diſpoſitione reſultante pendere, adeoque alia corpora aut res præter ſulphurea hanc diſpoſitionem in corporibus excitare poſſe. Corpora colorata cum vel ſine microſcopio conſiderata, multum diſcrepant. Atramenti ſpuma albicans eſt. Sal Vitrioli a Schrœdero *Pharmac. Med. Chym. L.* III. c. XXVI. *p.* 486. deſcriptum coloris quodammodo incarnati pulverando in albedinem vertitur. Rubrum autem colorem ex aqua forti ferro affuſa, imo rubiginem non tantum igne, ſed etiam aqua excitari, item papyrum cæruleum a ſpiritu Salis & Vitrioli nunc intenſius nunc dilutius rubedine infici, calces etiam metallorum, diriſſimo igni reſiſtentium, colore quodam imbui, cujus Sulphur aliquod ſtatui non poteſt cauſa, etſ. experimentis obviis conſtat vid. Boyle *de Coloribus*, & Eman. Konig *Regnum Vegetab. cap.* XXXI. *ſqq.* Unde nec de Arſenico ſatis conſtat;

ſtat;

ſtat; quod equidem ipſi impuriori ſæpius adhæret, ſed facile cognoſcendum (vid. Clariſſ. Wagnizii Meditatio de Mercur. dulc.) & arte per lotiones, & præcipue per deſtillationes cum Tartaro calcinato & calce viva eum prius terendo, ab eodem ſeparandum.

Qua autem fiducia Salis intimum cum Hydrargyro conjugium ſtabiliri poſſit, rationes prolatæ nondum evincunt. Præcipitatio ejus absque ullis aliis additis ſola digeſtione longiore peragenda, uti non ſulphure, ita neque Salibus demonſtrandis ſufficiens videtur: Quod namque vitrum poros habeat, dubitatum quidem eſt olim, ſed tamen perquam probabile experimentis a Celeberrimo Borrichio inſtitutis, vid. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. LXII. p.* 135. Et certiſſimum redditur occaſione hujus operationis chymicæ a Le Mortio de Chym. ver. nobil. & util. pag. 8, ubi ait: *Mercurius vivus per ſe præcipitandus duplo citius figitur per carbones foſſiles quam per ceſpites aut ligna.* An vero rubigo laminarum chalybearum in Mercurio purificato per aliquod tempus ſepultarum Sal inexiſtens demonſtrare valeat, viderint qui ſtatuunt; mihi certe globulorum exiguitas, & ad motum ſumma aptitudo contextum ferri ſeu chalybis deſtruere potuiſſe vero videtur ſimile: experimur aquam ferri ſuperficiem exaſperare, ratione potius ſuarum partium quam latentis Salis. Contra alkali Mercurii vid. diſputantem Moſen Charas *Pharmacop. Reg. Chym. c.* LV. p. 349. *ſq.*

Ab effectu porro quem edit in corpore humano pro diverſitate particularum ejus adſtruenda deſumptum argumentum nimis debile videtur & elumbe. Scimus namque in ſanguine noſtro etiam naturaliter conſtituto varia latere Salia, in ſtatu autem præternaturali, certisque affectibus hæc ſupra modũ abundare, moleſtas ſenſationes in mente efficere, corporisq; partes plus minus lædere: Hæc itaque argentum vivum ſine ulla præparatione hauſtum aut externe illitum, vel fumo ſuſceptum in proprii corporis

per-

perniciē ſatis armare poſſunt dum globulis ejus irretita per univerſum vagantur corpus & teneros ductus erodunt, diſcindunt atque totam oeconomiam animalem turbant. vid. Maets *Prodrom. Chem. Rat. cap. III. p.* 33. *& ipſa Chem. rat.* cap. IV. p. 73. Bontekoe *fundam. Med. cap. V. p.* 61. In aliis e contrario hominibus obſervamus, quorum ſanguis viſcidus magis quam acris eſt, laſſitudines, tremores artuum, lipothymias imo apoplexias excitari a ſola ſcilicet Hydragiri gravitate. Ab aliquibus autem innoxie Mercurius crudus hauſtus eſt: Notabilis eſt obſervatio, quam peritiſſimus Ettmullerus de adhibito Mercurio in paſſione Iliaca in praxi refert. Hiſtoriæ produnt magnam ejus quantitatem a metalli-foſſoribus clam & innoxie ingurgitatam eſſe; Et Celeberrimus Stiſſerus *Specim. ſecundo Act. Labor. Chym. cap.* III. Ex Angelo Sala refert, in quibusdam locis Germaniæ in aulis Principum aſſeclas & calones hilaritatis ergo inebriatis ruſticis argentum vivum vino vel cereviſia permixtum pondere drachmarum duarum vel trium, haud inita doſis ratione joco propinaſſe, unde tamen nihil detrimenti exſtiterit.

Hæc conſideranti non diſplicebunt forte verba Medici ſcientisſimi Sennerti Oper. Tom. II. L. IV. P. IV. c. 21. „Equidem „negari non poteſt dari medicamenta multa, quæ habent partes „heterogeneas, quarum ratione diverſos effectus edunt, quæ etiam artis ope ſeparari poſſunt. Quod vero argentum vivum „tales habeat partes, falſum, neque tum adhuc ullus Chymicus „repertus eſt, qui partes diverſas in eo monſtrare, & arte in eo ſeparare potuerit. Totum enim homogeneum eſt, ſi quicquid „aliud in natura, & vel totus evolat, vel totus manet, & quocunque etiam modo præparetur tandem totus homogeneus reviviſcit. Et quicunque Chymicus partes aliquas heterogeneas „in argento vivo, ut in Rhabarbaro oſtendit, erit mihi magnus „Apollo. Ab aqua communi non niſi gravitate differre affirmat Excellentiſſimus Albinus *diſſ. de Salivat. Mercurial.* §. XI. Viganus

in

in Chym. p. 51. Mercurium revivificatum tradit in aquam limpidam & ponderoſam (mercurialem dictam) commutari beneficio retortræ calidisſimæ in ſummitate foraminatæ, ſeptem octove receptaculis junctæ, at non lutatæ. Mercurius, pergit, gradatim infuſus per foramen idoneum in retortam calidam edit ſtrepitum, & partim evadit aqua limpida, & gravis in receptaculis. Clarisſimus Fiſcherus poſtquam in diſſert. de Anatomia metallorum ſubterranea cap. I. §. 9. Mercurii matrem ſtatuiſſet Aquam, §. 11. ita infit: Reductio Mercurii in aquam, & eductio reciproca experimentis comprobatæ, totum de Geneſi ejusdem negotium firmiſſimis ſuſtinebunt fulcris: Fac ergo conſletur ex argilla ſolida, ad inſtar vaſorum Waldenburgenſium pro aqua forti deſtillanda, olla ventris ampli, colli vero gracilioris ita concinnati, ut commode alembico cæco claudi, & operatione peracta recludi poſſit; Venter duplici tubo, uno juxta confinia colli, altero juxta baſin ſit pervius, quo per illum injectio, per hunc vero ejectio rite procedere queat. Obruatur vas tuum in furno ſepultum circumquaque candentibus prunis, canalibus ſaltem reſpiratione conceſſa, & eo usque torqueatur, donec totum intenſo perfundatur rubore; hinc capias Mercurii vivi q. v. & immittas citiſſime per orificium ſuperius, ita tamen ut conus pileatus præſto ſit, qui & accuratiſſime obturare, & arctiſſime ad tertiam usque canalem obtendere queat. Mercurius injectus flammæ reverberantis impetu reſolutus fuga elabi conatur, hinc petit altiora, ſed & ibidem ferventibus igniculorum ſtimulis præcipitatur, usque dum Vulcano furenti ſupplices protendens manus in humidum primigenium in appoſito recipiente optime munito limpidiſſimam aquam referens reſolvitur. Licet autem contra hæc fortaſſis quædam ab aliis adferri poſſint, confer. *Chym. Scept.* Illuſtris Boylei p. 46. Id tamen certum eſſe videtur, Mercurium ad aquæ naturam accedere, cui metallici ali-

quid ubique permixtum ſit, an ſeminale illud dicendum forte veniat, res eſt altioris indaginis.

Videntes autem Medici & Chymici potentiam liquoris hujus, alas Mercurio præcidere, & eum inſtar Protei aliis corporibus additis comburere, ſeu figere tentarunt; quo pro lubitu eo uti poſſent in morbis rebellibus & graviſſimis. Succeſſit negotium, & mediantibus ſalibus ad ſtabilem redegerunt naturam liquorem, ut Plinius vocat, æternum; ut potentiſſima nunc inter medicamenta ſit facile Mercurii familia, ejusque in afflictum humanum genus maxima exſtent merita: Non tamen ſine diſcrimine adhiberi vult, alias in ſumma ſæpius homines præcipitat pericula. Notandæ hinc veniunt circa uſum Mercurialium ſequentes regulæ, quas tradit Experientiſſimus Hofmannus in notis ad Poterium pag. 248. I. Nunquam, *inquit*, Mercurialia offerri debent impuris corporibus, ſcorbuticis acribus ſalibus ſcatentibus, & ubi viſcera labem & corruptelam quandam contraxerunt, II. Ubi inflammatio adeſt, vel metuenda, aut ad phthiſin vel hecticam proclivitas eſt, maximopere fugienda ſunt. III. Evacuatoriis corporis publicis adapertis humorum corroſiva qualitate correcta exhiberi debent, & magis tempore vernali & autumnali quam æſtate & hyeme. IV. Exactiſſima vitæ & diætæ ratio ſervanda eſt, ſecus Mercurialia magnum damnum corpori invehere queunt.

Refert etiam quale præparatum ex Mercurio in uſum tam externum, quam internum trahatur, bene perpendere. Quoniam præparata quædam præſentiſſima ſunt venena, alia vero mitiora quidem ſunt, cautiſſime tamen adhibenda veniunt. Alia vero quotidiano uſu quidem commendata ſunt, interdum tamen ob præparationis vitium noxia evadunt. vid. Excell. Wedelii *Amœn. Mat. Med. p.* 254. Deinde conſiderare convenit quibus hominibus præbeantur. Sic infantibus propter debilem & teneram partium eorum conſtitutionem non tuto ſatis præbentur di-

ćta remedia, de aliis vid. ſupra monita Doćtiſſ. Hofmanni. Sub qua forma etiam uſurpentur, non minor habenda eſt cura. Facile enim, ni circumſpećtio adhibeatur, Mercurius in pulvere datus quo ad partem gingivis vel alibi in ore hæret, & moleſta ſymptomata concitat; quemadmodum meminimus, in puella ſeptem annorum ex pulvere purgante, cujus Merculiale præparatum ingrediens ſimul fuit, ſalivationem inopinato excitatam fuiſſe. Si vero externe in auxilium expetantur, partes corporis, quibus applicari debent, earumq; conſtitutio probe perſpiciendæ ſunt, cum partes nerveæ & membranoſæ ceu delicatiſſimæ facile a corrodentibus labem contrahant. etſ. Alias enim ſi horum aliorumque huc trahendorum nulla cura ſit, medicamenta Mercurialia ſunt inſtar enſis in manu furioſi aut infantis, quibus mille damna inferri poſſunt.

In celeberrima Regni Danici metropoli Anno MDCXXXV Mater familias ab ancilla ad iram commota caput hujus ligno percutit, & vulnerat prope ſuturam coronalem, ſed non graviter. Illata enim concuſſio nulla vehementia arceſſivit Symptomata, ſed quiete & diæta omnia pacata ſunt; Vulnus etiam nova carne repleri cœpit; ad ſummam tota curatio magis ad votum lædentis & læſæ, quam Chirurgi proceſſit: Hic enim natura avarus, prævidens ſoſtrum non fore magni momenti, ſi labia vulneris tam cito coirent, ſpem de ſanitate conceptam ægræ adimit, eamque metu magnorum ſymptomatum exterret, illam ſcilicet nondum eſſe extra periculum poſitam, morbum inducias tantum ſimulare, quo poſtea majore vi & impetu cladem adferat, conſilio itaque & cautione opus eſſe; Neſciens ſcilicet hic fatuus hoc paulum lucri, quantum ei damni apportaturum ſit. Deinde ut dićtorum veritas appareat, peſſimo conſilio Mercurium ſublimatum immiſcet Unguento, & circa noćtem vulneri imponit. Poſtquam vero acria Sublimati ſpicula vulneris madore ſoluta intimius poros ſubiiſſent intolerabiles excitant dolores & ſucceden-

te tempore totum caput in ingentem elevatur tumorem, qui ad palpebras usque extenſus oculos claudebat: Præterea inflammatio, ut fieri neceſſe erat ex tam vehementi medicamento, conjungebatur, febris aderat, nec menti ſua conſtabat integritas. Tunc vero avaritia magnis angoribus implicabatut. Dolo enim & fraude detectis a curatione ſemovebatur lucripetens ille Chirurgus, & Blaſius Müller Vir in arte ſua exercitatiſſimus advocatur. Qui tamen, utut ſedulam navaret operam, impedire non poterat, quin humores ſtagnantes in ſaniem abirent, & in utraque regione temporum veluti in ſaccum colligerentur. Eo aperto magna vis puris cum ſingulari doloris cæterorumque Symptomatum alleviatione prorupit: Unde quidem convaluit ægra, ſed omnis capillus defluxit.

OBS. II.

FUMI EX MERCURIO ET CINNABARI EXCITATI NOXA

ANno MDCLI Uxor Tobiæ Graffen Zieſare oriunda ulcere antiquo & ſordido in crure a multis annis laborans curæ meæ ſeſe commiſit; Rebelle erat malum & medicamentis tam internis quã externis diu reſtitit, tandem tamen ceſſit, & mulier convaluit. Poſt duos vero annos recruduit morbus, Medicinam tum quærit ægra apud vetulam, quæ verba dare egregie didicerat: Hæc promittit dicta ulcera brevi tempore & facili labore fumo Mercuriali curare. Excitavit proinde eum Mercurio currente & Cinnabari, crureque excipiendum præcepit: Repetitur aliquoties hic labor, & ulcus in crure exſiccat, & tandem coit. At vero majus officioſe excitatur periculum, dum facies eroditur; quod virus ſpatio paucorum dierum ab ore incipiens maximam partem malæ & naſi occupat, ut, cum ad me rediret mulier auxilium quærens, miſerrimum horridumque præberet ſpectaculum

lum. Totũ prӕterea corpus ab hydrargyro ſuſcepto debile & flaccidum erat redditum. Deſperatũ nunc eſſe malum innui, adeoq; dicti Celſi memor, *prudentis hominis eſſe eum qui ſervari non poteſt non attingere, ne videatur occidiſſe quem ſors ipſius interemit*, a cura ſuſcipienda abſtinui. Traxit vero adhuc diu, ſatis hunc moleſtiſſimum morbum, qui ſucceſſive deterior factus vitӕ miſerrimӕ exoptatisſimum fecit finem.

OBS. III.

CORROSIVORUM NOXA.

ANno MDCLXIX. Andreas Schultze/ Vietor, calceis nimiũ anguſtis digitũ pedis dextri in latere comprimit, & cutem abradit, inde aqueus quidam humor, ut fieri ſolet, ſenſim exſudavit, impoſuit quidem linteola pura, & poſtea etiam emplaſtrum de ſpermate ranarum, ſed quoniam propter labores conſuetos ſatis diligentem affectus rationem habere nequivit, balneatorem, vicinum ſuum, accerſivit, ut eo citius moleſtia hac liberaretur; Is poſtquam dicto pedis digito aliquoties emplaſtra impoſuiſſet, unguem removendum eſſe dixit, ſi quidem digito ſua redire debeat integritas. Inſtrumento itaque unguem elevavit, & ſub eo & circa radicem ejus pulverem inſperſit, & obligavit. Sed applicationem pulveris hujus atroces ſtatim dolores ſecuti ſunt, non deſinentes licet unguis ſeceſſerit a digito; imo continuo aucti non modo quietem omnem & ſomnum ademerunt, ſed etiam frigus maximum per univerſum excitarunt corpus, & totum crus femurque perpetuo tremore ab eo tempore agitatum eſt: Hunc autem motum pro Podagra habuit balneator, & ӕgro prӕter purgans propinatum quinq; cucurbitulas cruri impoſuit, duas ſub ſura, duas in latere pedis, & unam in dorſo pedis in confinio digiti affecti; ſed nec inde commodum aliquod in ӕgrum redundavit, ſed cum cӕteris ingraveſcentibus ſymtomatibus appetitus dejectus & vi-

res notabiliter imminutæ ſunt, digitus etiam in extremitate nigredine cæpit perfundi. Interea balneator Lipſiam profectus affecti hujus curam homini, qui ei a ſervitiis erat, committens, poſt undecim demum dies domum revertitur, & digitum totum nigrum & mortuum reperit. Vietor in quæ pericula conjectus ſit perſpiciens, me cum tribus aliis ad ſe accerſivit, ut conſilium in hoc dubii eventus affectu daremus, & ſi poſſibile, auxilium; Totam morbi hiſtoriam, poſtquam acceſſimus, ut jam relata eſt, recenſens. Digitus erat niger, & gangræna correptus, pes vero cum crure adhuc tremens non valde intumuerat, de magnis tamen doloribus conquerebatur æger. Omnibus attente conſideratis nihil melius eſſe concluſimus, quam ut digitus exſtirpetur tanquam pars emortua, & vulnus maxima ſedulitate & prudentia tractetur & obſervetur. Elegit itaque ex Chirurgis præſentibus Joannem von Exter, qui ejus rationem impoſterum haberet. At vero quoniam vires jam nimium dejectæ erant, & malum altiſſimas egerat radices, non longe poſt fatis ceſſit æger.

Bene itaque notandum, ſeptica talia & vehementia corroſiva non facile adhibenda eſſe, præprimis in locis membranoſis, tendinoſis & denſa nervorum propagine præditis, adeoque valde ſenſibilibus. In præſenti enim caſu graviſſimorum recenſitorum Symptomatum, gangrænæ, & tandem mortis imprudentem horum uſum cauſam exſtitiſſe, ex eo affirmare licet, quod defunctus ante adhibitum balneatorem & inſperſionem pulveris incedere, & muneris officia obire potuerit, poſt uſum vero pulveris atrociſſimis doloribus, inquiete, convulſionibus etſ. laboraverit. Non autem dubitandum eſt, ob præſentiſſima ſtatim ſymptomata, quin pulvis ille ex Mercurio ſublimato vel arſenico, ſimpliciter aut cum aliis adhibito conſtiterit. Non etenim ignotum nobis eſt, quibusdma hæc violentisſima medicamenta in arcanis eſſe in his ſimilibusque affectibus; Verum plura triſtis quam ſalutaris proſtant exempla eventus. Legi de iis merentur Doctisſimi Viri Hiero-

ny-

nymus Fabricius ab Aquapendente *Chirurg. P I. L. l. c. XXVII.* & Guil. Fabricius Hildanus *de Gangræna & Sphacelo cap. V. &* XIII. Hinc Celeberrimus Pigræus omnes Chirurgos ab uſu horum ſepticorum fideliter dehortatur, quod ea tam venenata conſtent proprietate, ut exterius tantum adhibita mortem non raro cauſentur; monet propterea in caſu neceſſitatis ferrum potius candens, quam hæc in auxilium vocare medicamenta. Imo Paracelſus huic hominum generi iratiſſimus eſt, & illos non Chirurgos ſed carnifices appellat. An vero cucurbitulæ & Purgatio hic neceſſariæ vel utiles fuerint Medicis decidendum relinquo.

OBS. IV.

CEPHALALGIA A VERMIBUS.

ANno MDCLI. puer undecim annorum de doloribus in ſummo capite atrocibus diu conqueſtus erat, conſuluerat pater ejus & Medicos, & Chirurgos, variaque & interna & externa vocaverat in uſum remedia, ſed nulla dolorum facta eſt alleviatio, ſed potius de die in diem nova atrocitas. In tam ancipiti filii ſtatu, pater & meum petit conſilium & auxilium. Quoniam de determinato loco doloris maxima querela inſtituebatur, pertrecto undique ſumma attentione caput, illudque conſidero, & poſt paucos dies animadverto cum panniculo carnoſo in vertice non ita comparatum eſſe, ac debebat; cultro eundem leviter incidens nigrum quicquam & mobile obſervo, majorem itaque in formam crucis facio inciſionem, & ſtatim oculos incurrunt tres vermes articulum fere digiti longi; exemi illos & attentius conſideravi; ſimiles erant vermibus Zoophagis, (denen Fleiſch Maden) corpore cæſii coloris, capite vero nigro, pedibus multis. Incumbentes pericranio illud arroſerant, & præter ruborem inflammationem excitaverant. Unguentum leni-

ens

ens vulneri impoſui, unde dolores paulatim imminuti tandem penitus ceſſarunt, & puer ſanitatem recepit.

Credidit Antiquitas & cum ea præſentis ævi aliquot Medici & Philoſophi, ut ex Ariſtotele, Plinio, M. A. Sev rino & Moufeto conſtat, vermium generationem dari æquivocam, ut verbo recepto utar, nec ſemen quoddam ſpecificum ad eorum productionem requiri, hinc vel pulverem humidum, vel animalia mortua, vel putredinem, aliaque materiam aptisſimam vermium conſtituerunt. In certis quidem motus modificationibus & legibus aliquod ſtatui poſſet fundamentum, ſed magis fortasſis cerebrinum quam reale futurum; poſtquam enim diligentiſſimi Viri Schvvammerdam, Leeuvvenhoek, & quem primo nominare debuiſſem, Franciſcus Redi altius in arcana Naturæ penetrarunt, manifeſtisſime apparuit, generationem iſtam minimorum non alia ratione fieri quam majorum animalium, ipſiusque hominis, ſcilicet ex ovo.

Nimium vero in curioſitate medica progresſi eſſe videntur Viri alias laudatisſimi Leeuvvenhoek, & nuperus modo Scriptor Andry, dum ſemen maſculinum magna vermium copia ſcatere ſuſtinent; imo eandem ex quibus conſtamus materiam eſſe ovulumque ingredi affirmant. Verum non tantum res turpis eſt, & ab omni honeſtate, quam etiam cum ſoli ſumus, exercere debemus, remota, objectum ſcrutinii talis ſibi proponere, ſed microſcopiorum fides in hac re valde ſubleſta eſt, cum ludibrium partium motu adhuc propter calorem gaudentium fuiſſe credendum potius ſit. Nec illi rem acu tetigiſſe videntur, qui vermes omnium morborum cauſam profitentur atque originem; quod a particulari ad Univerſale, ut in Scholis loqui amant, non valeat conſequentia. Hoc interim certum eſt, multarum ægritudinum eos exiſtere fabros & diverſisſimas in corpore humano ludere tragœdias. Quis enim neſcit faſcinatos ſæpius creditos eſſe eos, quos verminoſa lues dirisſimis Symptomatibus excruciavit? Dum

ovu-

ovula vel cum aere in reſpiratione, vel cum cibis deglutita feruntur in Ventriculum, non ibi comminuuntur omnia, aut per communem viam excernuntur, ſed ipſum interdum ingrediuntur ſanguinem, præprimis ſi conſtitutio humorum ſuum contribuat ſymbolum; Ita enim lege circulationis ſangvinis in omnes corporis partes poſſunt pervehi, ſique locus & alia faveant, nidulantur ibi, & mediante calore excluduntur vermes, excluſi depaſcuntur quicquid in vicinia inveniunt, rodunt, anxietates & mille mala inferunt, donec vel medicamentis enecentur, vel erumpentes ex nido ejiciantur. Vidimus in cane ante aliquot annos myriades vermiculorum, Aſcaridum forma, in proprio & anguſto folliculo incluſos inter tunicas Ventriculi; Alia occaſione duos lumbricos in alio cane renem dextrum obſidentes invenimus, totus ren excavatus membrana tantum erat craſſior & dura, in cujus cavitate tamen præter vermes urinalis liquor reperiebatur. Stasfurti apud fontem ſoterium vermes nobis monſtrati ſunt, articulum digiti amplius longi, nigricantes, piloſi, ex brachio & manu pueri, ut ferebatur, excreti. Et in cachectico uno ab obitu die vermem naribus prorepentem obſervavimus. Attendi meretur, quod ſcientiſſimus Guido Patin refert Lettres Tom. I. Lettr. XXCIV. p. 348. *J' ay*, inquit, *pluſieurs fois icy vu ſortir des vers des veines, par la ſaignée du bras; mais quand ils ont été grandes & morts, je n' ay vu perſonne, qui en ſoit eſchapé.*

OBS. V.

SENSUS ET MOTUS IN BRACHIO DEFECTUS.

ANno MDCLXI. menſe Februario ancilla in villa Putlendorff a duobus ruſticis, ex petulantia illam in terram dejicere conantibus, ad vehementem iram concitatur, iisdemque totis viribus reſiſtit. Inde protinus male habet; cum-

que die octavo me conſuleret, brachium dextrum ab humero usque ad extremam manum mortuum quaſi erat, ſine ſenſu ſcilicet & motu, ut acum profunde ſatis in cutem & ſubjectam carnem adegerim nullo ſubſequente dolore aut perceptione mentis. Caput vertiginoſum erat, calor internus præſertim noctu cum inquiete & anxietate præcordiali miſeram affligebant; Obambulabat tamen interdiu. Ad anxietatem & calorem tollendum venam ſecui in brachio, quod ſuſpicarer ſangvinem alicubi latere coagulatum. Sed altero die pejus habebat, ut etiam apoplexiam metuerem: Porrigebam grana viginti quatuor pilularũ anethinarum, ex quarum uſu aliquanto quidem melius habere videbatur, ſed brevis & tranſitotia erat felicitas. In uſum itaque vocabam aquam contra paralyſin Parei Chir. L. VIII. c. XIII. deſcriptam, quæ ita conficitur: Sumantur Radicum Angelicæ, Iridis florentinæ, Gentianæ, Cyperi rotundi ana Uncia una, Calami aromatici, Cinamomi, Caryophillorum, Nucis Moſchatæ, Macis, ana drachmæ duæ, Herbarum Salviæ, Majoranæ, Chamædrys, Lavendulæ, Roris marini, Saturejæ, Pulegii, Balſaminæ ana manipulus dimidius, Florum Chamomillæ, Meliloti, Rorismarini, Hyperici, Geranii ana pugillus unus, conciſa & contuſa macerentur in aquæ vitæ & vini malvatici ana libris duabus, & deſtillentur lege artis. Hujus aquæ ſpirituoſæ unum cochlear mane & veſperi propinabam. Cæterum vaporoſum fotum ordinavi ex Herbarum Meliſſæ, Salviæ, Thymi, Saturejæ, Serpilli, & Florum Lavendulæ, Rorismarini, Hyperici, Chamomillæ, Meliloti, Abſinthii portione æquali in aqua ſimplici coctorum, cujus vapor a brachio & nucha linteis obtectis excipiebatur, & cutis manibus fortiter fricabatur, quo pori eo melius aperirentur. Brachium deterſum inungebatur ſequenti Ungvento, cui aliquid Aquæ Spirituoſæ Parei immixtum erat: Sumatur Ungventi Agryppæ, Aregon, Martiati ana Uncia una, Oleorum Caſtorei, Sinapi ana drachmæ duæ, Juni peri drachma dimidia, laurini, axungiæ canis ana Uncia dimidia, lentiſſimo igne diſſolutis

&

& mixtis addatur Pulveris piperis longi, euphorbii ana drachma una, Seminis Sinapi albi, Radicum Gentianæ, Pyrethri ana drachma dimidia, Caſtorei, Aluminis plumoſi ana drachma una, in fine addendo Olei Succini drachmas duas, fiat Ungventum. Poſtquam vero fotus & illinitiones ter vel quater adhibitæ fuerunt, nocte dolores ſenſit præprimis in humero & muſculo deltoide; mane usque ad cubitum redibat aliqualis ſenſus. At enim vero ſequente nocte vehementius ægrotavit quam unquam, lipothymiæ & anxietates cordis ſupervenerunt graviores, ut mortem præ foribus eſſe omnes, qui circa eam erant, arbitrarentur. Propinabam ſtatim Aquam confortantem repetitis vicibus, quæ conſtabat ex Aquæ liliorum convallium, cordiali, cordis cervi compoſitæ ana Uncia dimidia, Lavendulæ & Hirundinum ana drachmis duabus. Mane vero omni bihorio quantitas deſcribendi Electuarii, quæ cuspide cultri contineri poterat porrigebatur. Conficiebatur illud ex conſervæ florum Lavendulæ, Salviæ, Bethonicæ ana Uncia dimidia, Theriacæ Andromachi & Confectionis Anacardinæ ana drachmis duabus, Olei Succini, guttis tribus, quibus Syrupi ſtoechadis ſufficiens quantitas addebatur. Veſperi melius valebat, caput vero ob vertiginem ſuſtinere nequibat ægra. Fotum igitur non adhibui amplius, ſed nucham tantum & humerum deſcripto ungvento perfricui. Rediit tandem & manui & toti brachio ſenſus & motus. Conquerebatur tamen de moleſtia circa ſcrobiculum cordis, & leves patiebatur lipothymias præſertim noctu, & quando cibos aſſumſerat. Præbeo Vomitorium ex infuſione vitri Antimonii, & poſt quatuor excitatos vomitus ſymptomata hæc ceſſarunt. Remanſit dolor & convulſio quædam recurrens; Sepoſito itaque ungvento calidiori, mitius adhibui, quod conſtabat ex Ungventi dialthææ Uncia una, Populei, Olei vulpini, axungiæ humanæ ana Uncia dimidia, Olei terebinthinæ drachma dimidia, & Medullæ Cervinæ drachmis duabus. Quo per aliquod tempus in uſum vocato integre convaluit fæmina.

Neminem latet, quanta Paſſionum Animi in corpus humanum vis ſit & efficacia. Inter eas vero Ira, furor ille brevis, & inſaniæ initium, vehementiſſima jure ſtatuenda eſt, & nocentiſſima. Præter animi commotionem, nervi & ſuccus eorum graviter in hoc affectu afficiuntur, quorum vitium tandem in ipſam redundat maſſam ſanguineam. Eluceſcit hoc ex illis, I. quæ in iracundis ſtatim fiunt; pallent, ſcilicet, lachrymantur, rident, trement, ſaliva ſpumoſa fit, excrementa involuntarie interdum exeunt, vel conatus ſaltem adeſt, mente non recte conſtant, &c. quæ in diverſis ſubjectis magis vel minus affligunt. Patet illud, II, ex iis, quæ Iratis ſuperveniunt, nunc enim anxietates præcordiorum, nunc febres malignas, nunc Epilepſias, mox ſtuporem, hemiplegias & apoplexias particulares, aliaque mala incurrunt, morſorum etiam ab iracundis vulnera difficillime curantur, & ſæpe lethalia fiunt. Quæ Symptomata ab impetuoſo non male & excentrico derivantur fluidorum motu; Color autem faciei diverſus variam ſanguinis conſtitutionem, majoremque vel minorem in ira conſtantiam & fervorem, arguit. Ob motum autem hunc majorem partes craſſiores cum aliis modeſtius motæ, nunc impetu quodam incutiuntur vaſorum vel aliarum membranarum anguſtiis, ibi hærent, & interdum ſenſu, interdum motu, interdum vero utroque membra privant. Quod vitium non a peculiaribus ſpiritibus ſenſoriis & motoriis derivandum venit, ſed partim a majori vel minori tubulorum obſtructione, partim etiam ab organorum varia habitudine. Ex ira apoplexiam cum aphonia ortam eſſe obſervavimus in viro LIV annorum ante aliquot annos in Dania, & licet apoplexia mutaretur in hemiplegiam, mentique ſuus redderet vigor aphonia tamen ad mortem usque, quæ die decimo vel undecimo irruebat, perſtitit. Vir hujus loci XXXII annorum ad iram commotus maximam, prolabitur in terram, & epilepſia corripitur: Alio tempore continuas nervorum diſtenſiones patiebatur cum calore ingenti. Anno MDCLXXXI. Cos-

VVi-

vvigæ maritum inter & uxorem vigebat litigium, ille digitum auricularem uxoris morſu lædit, uti autem videbatur, leviter tantum; ſed paucis diebus poſt non tantum digitus ſed manus & brachium magnis afficiuntur doloribus & inflammatione, ut licet optima interne & externe adhiberentur remedia, non tamen potuerit ſemel radicatum malum erui, unde res tandem eo rediit, ut quamvis tota manus amputaretur, omnibus tamen in deteriora ruentibus ægra fatis ceſſerit. Iræ remedia tam ab ipſa anima, quam, ubi corporis paſſio facta eſt, a Medicina petuntur. Sic generoſitas hic merito laudatur; item abjectus & levis animus, qui injurias etſ. non curat, & ad ſeſe revocat. Remedia Medica efficacisſima ſunt in principio Vomitoria, in progreſſu nervina quæ motos componant fluctus. Quod vero ad morbos quam plurimos tanquam effectus Iræ attinet, ſuam quisque poſtulat medelam.

OBS. VI.

GANGRÆNA BRACHII CURATA.

PErfecta ſanitas quod rariſſime in hominibus reperiatur, Parentes, vivendi ratio, regiones etſ. impedire videntur. Dum enim ea in legitima minimarum particularum fluidi mixtione & motu, ſolidique debita conformatione conſiſtere dicenda eſt, facile apparet, hanc, præprimis fluidi texturam levi ex cauſa turbari poſſe: Quæ quidem vitia, ſi leviora ſint, non multum incommodant oeconomiæ animali, & perſpiratione, aliisque per varias partes excretionibus, ipſoque fluidorum & ſolidorum motu corriguntur. Si autem accidat, has contra ſanitatem clam ſusceptas ſeditiones in prima, ut dicitur, herba non ſuffocari, ſenſim incrementa ſumunt, & major fluidorum portio trahitur in partes, donec erumpat ſeditioſa veluti cohors, hoſtisque inquilinus, & Naturæ apertum bellum inferat dubio eventu gerendum. Cognovit hoc ſuo ævo ſcientisſimus Hippocrates Libro I. de Diæta cap.

III.

III. §. 21. *Non*, inquit, *derepente morbi hominibus accedunt, ſed paulatim collecti acervatim apparent.* Heſiodus illud Op. & Dier. L. I. vers 102. ſq. ita exprimit:

Morbi autem hominibus tam interdiu quam noctu
Ultro oberrant, mala mortalibus ferentes
Tacite; Nam vocem exemit prudens Jupiter
Sic nusquam licet Jovis mentem evitare.

Exemplum tacite accumulati morbi, præter alios præbet Gangræna & tandem Sphacelus, mortes particulares, ſi ab interna oriantur cauſa. Dum enim ob ſolidi conſtitutionem vitiatam humores vitales in membra corporis influere nequeunt, vel ipſi humores vappidi ſunt; calor remittit primo, & tandem plane deficit, color etiam vividus mutatur in pallidum, & ex majori corruptione in obſcurum, cutis & caro flacceſcit, mollisque redditur ob eundem influxum humorum impeditum, hi enim vigoris in corpore humano unica exiſtunt cauſa & origo. Majores vero ſanguinis hic quam ſucci nervei eſſe partes paralytici docere poſſunt. Opportunum vero huic morbo eorum corpus eſt, quod ſangvis in motu ſuo progreſſivo auxilio ſpirituum animalium deſtituatur. Deinde etiam Hydropici ex levicula ſæpe læſione morticina labe afficiuntur, qua ſangvis eorum plurimum vigorem amiſit, & partes ſolidæ ad corruptionem jam pronæ ſunt. Huc referri meretur rara Ampliſſimi Tulpii obſervatio L. III. c. XLIII. de Sene fatuo, qui ex ſanguine effœto, adeoque interna cauſa, gangrænam ſtatim a parva compreſſione in corpore contraxit, quæ demum univerſalis facta eſt. Non alia ratione oritur Gangræna & Sphacelus a cauſis externis. Sic inflammatio neglecta, vel minus commodis remediis tractata abire ſolet in gangrænam, quod ex ſtagnatione humorum ſolidarum partium corruptio tandem oriatur, & per conſequentiam vita, ob depravatum & denegatum hu-

humidum radicale, exſtinguatur. Morſus item iratorum aut rabidorum tam hominum quam brutorum; Refrigerationes extremorum; Conſtrictiones vehementiores, Contuſiones graviores; Ineptorum remediorum ad vulnera applicatio etſ. eundem triſtemque effectum producere potis ſunt. Hiſce enim partes vel ſuccis vitalibus privantur, vel dilacerantur, & per morſus malignitas quædam toti ſangvini communicatur, unde Gangrænæ demorſis ſupervenientes ut plurimum lethales eſſe conſueverunt.

Anno MDCLIII Bubulci Lizcauvienſis interius brachium inter cubitum & manum ſine manifeſta cauſa inflammatur, adhibet quidem ille ſtatim remedia domeſtica, ſed illa affectus contumacior ſprevit: Conſulit etiam balneatorem, ejusque curæ ſeſe committit. Sed cuncta ruunt in deterius, an curantis, an vero mali pertinacis culpa incertum. Dolores enim enormiter ingraveſcentes omnem adimunt quietem, locus affectus nigreſcit, totum brachium inflammatur, & tandem veſiculæ flavæ & lividæ undique elevantur: Hoc rerum ſtatu auxilium meum implorabat. Nullum autem remedium ſerpenti huic & furenti malo par inveniebatur quam ferrum, quo id quod emortuum, reſecandum erat, ne pars ſincera traheretur. Abſtuli itaque corruptam carnem cubitum manumque interjacentem. Virus autem illud vaſa ſangvinea & nervos aliquot infeciſſe tum manifeſto apparuit. Toti brachio applicui epithema contra gangrænam mihi uſitatum; componitur illud ex Salis Gemmæ Uncia una, Mercurii præcipitati drachmis duabus, Lixivii Calcis vivæ libris quatuor, Spiritus vini optimi libris duabus, Miſceantur & applicentur calide cum linteis: Soleo vero, antequam Spiritum vini addam, præter Sal gemmæ & Mercurium, certam quantitatem Myrrhæ, Aloes, & Olibani aquæ calcis vivæ addere, & igni imponere, ut ſemel vel bis invicem ebulliant. Vulnus etiam detergentibus purgavi, interne vero Naturæ debili opem tuli ſequenti Electuario,

rio, quod probatiſſimum in hiſce affectibus expertus ſum, conficitur ex Sulphuris citrini, Baccarum lauri, Lapidum cancrorum, Nitri præparati ana uncia dimidia, Radicis Zedoariæ drachmis duabus, Macis drachma una, Theriacæ Andromachi, Mithridatii ana quantitate ſufficienti, doſis erat drachma una, vel una cum dimidia cum aquis cardui benedicti & ſambuci ſumenda. His remediis effectum eſt, ut nova caro ſenſim ſuccreſceret, & major ſanitatis ſpes quotidie affulgeret. Separabantur partes quædam, ut fit, a reliquis; præprimis autem in admirationem rapiebar, cum is, qui mihi a ſervitiis erat, partem venæ domum aliquando rediens monſtraret tantæ longitudinis, ut a cubito ad humerum fere pertingeret, referens extremitatem ejus emplaſtro tenaciter adhæſiſſe. Reſtituebatur æger, & brachio plurimum redibat robur, duos vero medios digitos motus deſtituebat.

OBS. VII.

GANGRÆNA EX INTERNA CAUSA CURATA.

ANno MDCLIX, Menſe Octobri ad lanionem, Virum quinquaginta aliquot annorum vocabar, majoris digiti pedis articulus anterior flaccidus erat, ſiccus, niger, verbo, ſphacelo ſ. gangræna graviori infectus; reliqua vero pars cum pede, præprimis planta ejus, diriſſimis afficiebantur doloribus. Nullam cauſam allegare noverat; id tantum referebat, ſe in anno ſemel vel bis per aliquod tempus laborare podagra; nunc vero poſt levem indiſpoſitionem in digiti parte anteriore maculam rubram apparuiſſe cum magnis cruciatibus, remque eo, quo nunc eſſet, deveniſſe. Non melius conſilium dare potui, quam totum digitum quantocius auferendum eſſe, cui calculum addebat Medicus & Chirurgus alter antea jam adhibitus. Adverſabatur quidem patiens in initio hoc remedii genus, poſtquam vero futura

peri-

pericula ad animum vocabantur, non diutius reſtitit. Prop e pedem itaque forcipe acutiſſima digitum aufero, toti cruri epithema defendens impono & drachmam unam pulveris jam deſcripti ter de die exhibeo: Sed digito corrupto remoto, non omne ſimul malum ablatum erat, & vulnus inſtrumento pertentans incido in cavitatem, quæ plantam pedis ſubiens usque ad talum extendebatur. Senſerat ibi ab initio majores quam alibi in pede dolores, exterius vero eadem cutis cum reliqua facies erat. Aquam fœtidam in pauca quantitate plorabat, injiciebantur quidem ſyringa medicamenta utilia, ſed nec dolores minuebantur, nec affectus mutabatur, aut curatio promoveri poterat. Ad efficacem itaque Medicinam rurſus profugio, & inſtrumentum in uno latere rotundum, in altero planum & excavatum cavitati immitto, cannulæ huic argenteæ dimidiatæ cultri, quem Biſtori Galli vocant, dorſum impono, acie verſus plantam pedis verſa, ſicque uno ductu, & in momento fere totam plantam diſſeco. Tendines & fibræ circa cavitatem hanc cæſii erant coloris, aliquomodo fœtidæ & quaſi laceræ, faſelicht. Separato poſtea omni quod corruptum erat, aquam mundificantem injeci, ſicque vulnere coëunte æger ad priſtinam rediit ſanitatem,

OBS. VIII.

GANGRÆNA EX INTERNA CAUSA LETHALIS.

Vir quidam Conſularis maxime vaſti corporis ſexaginta circiter annorum Anno MDCXC. menſe Auguſto dum funus ſequitur, frigore perfunditur, mox diarrhœa ſupervenit, & brevi magnus tumor in femore dextro exſurgit durus cum inflammatione conjunctus. Advocatus die vigeſimo primo lac ſic dictum virginis applico, & quoniam durities tam pertinax erat, die ſequenti conſilio Domini Medici bis Cataplaſma e-

 mol-

molliens impono. Veſperi autem nota aderat, vel locus nigricans in femore palmæ magnitudine. Adhibebatur ſtatim præter interna epithema contra Gangrænam, ſed die vigeſimo tertio ſphacelus aderat, nec ex profundis inciſionibus mentis quædam oriebatur ſenſatio. Cum latam amplius manum adegiſſem cultrum, pus erumpebat fœtidum, cujus inſignis quantitas, ut inquirentibus nobis apparuit, ibidem loci concludebatur. In ſpem inde erigebamur, malum, quoniam ad fundum venire poſſe videbamur, ſuperatum iri: Sed fefellit ea, & nocte ſequente mors vitæ fecit finem.

OBS. IX.

EX CONTUSIONE FEMORIS ET LUMBORUM ECCHYMOMA.

ANno MDCXLVIII. menſe Auguſto Martinus Hammer Incola pagi Lindau, vir quinquaginta annorum ex tabulato decidens impingit femur dextrum in truncum. Lumbus & crus ſtatim inſigniter intumeſcunt & inflantur; tumorque ſine ulla rubedine cum doloribus auctus, nullam tamen foveam digitis preſſus relinquebat. Non autem in aliam corporis partem quam in abdomen procumbens æger quieſcere, nec pedibus inſiſtere poterat: Veſica etiam & alvus obſtructæ erant: Nec tamen ullum ſignum luxationis apparebat. Elaboravi ſtatim medicamentis interne & externe adhibitis, ut nervoſum genus rediret ad officium & tam alvus reſponderet, quam veſica ſeſe exoneraret; tumori albo & digitis renitenti Cataplasmata & Linimenta reſolventia per aliquot dies adhibui, unde ſenſim imminutus tumor cauſam expanſionis & dolorum aperuit: Magna ſcilicet vis ſangvinis extravaſati inter muſculos latuerat, eosque tam vehementer diſtenderat; totum enim crus usque ad pedes, & ſuperne lumbaris regio liveſcebant, & fere nigreſcebant, cum ingenti tendinum muſculorumque duritie. Continuavi propterea

ea tanto diligentius in reſolventibus & diſcutientibus adhibendis. Præprimis vero balnea vaporoſa egregie contulerunt. Tandem ſpatio trium ſeptimanarum reſtitutus æger pedibus integerrime valuit.

Quod Ecchymoma hic in initio non ſtatim apparuerit, vaſtitas & craſſities muſculorum effecit, qui ab effuſo ſangvine mirum in modum diſtenti & extenſi cruoris exitum impediverunt. A vehementi autem contuſione vaſa ſangvinea nimium compreſſa crepuerunt, & liquorem ſuum in interſtitia muſculorum effuderunt. Fibræ vero nerveæ ab externa hac cauſa gravius affectæ ſui oblitæ ſunt muneris.

Cæterum præter neceſſitatem magnum ſibi ipſis Viri quidam Clariſſimi faceſſerunt negotium in tradenda differentia Inflammationis & Ecchymomatis. Hincque ad varias particularum ſangvinis in ſubſtantia partium ſtagnantis affectiones, fermentativas commotiones, alcalinarum tenuium aufugium, ſulphurearum & craſſiorum remanentiam aliaque confugiunt. Cum tamen nec in inflammatione neque ecchymomate ſymptomata huic opinioni ſatis apte velificentur. In inflammatione enim preſſio tantum ſangvinis continuo affluentis & appulſi, ob arteriolarum autem obſtructionem progredi nequientis, & hinc magis commoti, tanquam cauſa aſſignari poſſe & debere videtur, quoniam hac ipſa tumor, rubor, dolor & febris commode explicari poſſunt. In Ecchymomate autem ſangvis effuſus tam arctis non coercetur limitibus, hincque inflammationem non ſemper habet comitem.

Cauſanda vero fuit talis intrinſeca partium major vel minor varieque modificata commotio, quod ſanguinem in partes certaque inter arterias venasque ſpatia ſeu interſtitia naturaliter effundi perſuaſum aliquibus fuit. Diemerbroek Anat. L. II. cap. VIII. p. 274. *Impellitur*, inquit, *per arterias copioſus ſanguis, cujus bona quantitas per minimarum arteriolarum fines effluit in po-*

res ſubſtantiæ partium, ejusque ad nutritionem tantum apponitur cuique parti, quantum vel neceſſe, vel apponi & aſſimilari aptum eſt, reliquum vero ulterius procedit, & biantia minimarum venarum partibus inhærentium oſcula ſubit, atque ſic progreditur ad majores venas etſ. Non paucis vero hæc de effluxu ſanguinis ex arteriis intra fibras partium muſculoſas etſ. opinio premi videtur difficultatibus: quod phænomena in phyſiologicis & pathologicis occurrentia clare ſatis & diſtincte explicari nequeant, circulationi ſanguinis remora injiciatur, & mechanicæ ſtructuræ partium non conveniat, Celeberr. Pitcarne diſſert. I. §. 17. p, 29. *Nam in illud,* ait, *ſpatium, corpusve effuſus ſanguis multo facilius undique comprimeret, & ad contactum adigeret latera membranarum venæ oſculum efformantium, quam poſſet in oſculum illud ingredi; adeoq; non rediret ſanguis ad cor per venas.* Præterea injectiones in pulmonibus, liene, cerebro aliisque partibus inſtitutæ eam opinionem infringant, confer. præter alios Williſ. *Cerebri Anatom. cap. VII. p.* 25. Malpigh. *de Bombyc. p.* 17. & alibi; interjectæ etiam iſtæ fibræ omni licet adhibita diligentia demonſtrari nequiverint. Altera autem de immediato ſanguinis ex arteriis in venas tranſitu ſententia ideo admittenda potius videtur, quod naturalis conſtructio in quibusdam partibus eum demonſtret; & circuitus liberior peragatur; Secretiones enim poſſe peragi ſine intermedio ſpatio, poro, aut fibris laudatus Pitcarne allegata diſſertatione deducit. Sanguinis etiam diverſus color in venis atque arteriis non evertit hoc dogma, cum ipſa ſtructura arteriarum & venarum diſtincta, & hinc alia preſſionis & commotionis partium ſanguinis ratio ſit, præterea ſanguis arterioſus aliis particulis abundet quam venoſus, ipſaque coloris diſcretio in exiguo ſpatio lynceis fortasſis illudat oculis. Quia autem valvulis præditæ ſunt venæ, injectos liquores aſſurgentes eæ non admittunt, niſi vis major acceſſerit, uti aliquando obſervaſſe meminimus. Tandem etiam ſi effunderetur ſanguis in interſtitia partium mille in-

com-

commodis quotidie opportunum eſſet corpus humanum & brutum. Si autem aliquis illud ſanguinis quod repetitis injectionibus eluitur ex viſceribus, & unde tandem pallent, pro argumento ad effuſionem humoris vitalis adſtruendam accipere vellet, vereor ne levi nimis pugnet brachio. Arteriarum enim & venarum genuinus iſte fœtus eſt; nec quantitas obſtabit, quando ſanguinem per aquam amplisſime diffundi, & infinitis ductibus & plexibus viſcera conſtare obſervabit: In fidem majorem ſervat in Muſeo Hepar curioſiſſime præparatum & totum vaſculoſum Anatomicorum ocellus Fredericus Ruyſchius.

OBS. X.

TUMOR FEMORIS.

INter morbos habitus corporis referri poſſunt tumores ſeu partium variarum humani corporis præternaturales elevationes ſeu prominentiæ ſecundum omnes dimenſiones, actiones partium, in quibus ſunt, lædentes, à penitus vel maximam partem ſtagnantibus humoribus productæ, variisque ſymptomatibus ſtipatæ, prout diverſi humores, diſtinctæque eorum partes in iis excitandis peccant. Latisſime enim patent Tumores, infinitasque fere ſpecies ſub ſe comprehendunt. Antiqui ſua temperamenta, ſuosque humores ad explicandas differentias cauſasque produxerunt in ſcenam. vid. *Dunc. Liddelii Art. Med. L.* III. *c.* III. *p.* 226. *ſqq.* Infelices autem fuerunt pro ſeculi more, quod iisdem claram de tumorum aliarumque affectionum geneſi, & ſufficientem explicationem ſuppeditare nequiverint. vid. Fernelii *Patholog. L.* VII. *cap.* II. *p. m.* 239. Interim tamen adeo traducendi non videntur eſſe, quemadmodum a multis nunc fieri videmus. Chymia & Anatomia ita longe non fuerunt excultæ, adque tantum faſtigium evectæ quam noſtris temporibus, in quibus tamen magnos Viros etiam circa notiſſima hallucinari Doctiſſimus Stifferus

de variis erroribus Chemiæ ignorantia in Medicina commiſſis, & laudatus Pitcarne *diſſ. l. p.* 16. *&* 17. (confer. ejusdem Solut. problem. de Inventoribus) demonſtrarunt. Explicuerunt Moderni melius quid ſub temperamentis aut humoribus diſtincte intelligendum veniat, totamque rem ad certas particulas figura, magnitudine, ſitu, &c. præditas & a ſe differentes redegerunt; ſimulque ſolidarum partium variam ſtructuram conſiderandam eſſe præceperunt. An autem commoda explicatio dici posſit, quando materiam acrem ſalinam ab acida diſtinctam tumorum quorundam cauſam proximam ſtatuunt Recentiores quidam, multis equidem dubiis rem implicatam crediderim; quod ipſa ſalis figura & efficacia, tumque medendi methodus aliud perſvadeat.

Sunt ſæpius tumores morborum reliquiæ, quatenus vel ab inepta Medicina, vel malo ægrorum regimine obſtructiones aut fiunt, aut relinquuntur. Sic experimur poſt profligatas febres pedes tumidos interdum oriri, imo ipſum hydropem. Non raro a nimium commoventibus idem effectus producitur qui ab adſtringentibus, ductuum ſcilicet infarctus & oppeſſulatio, ex quibus producta vitia facile propagantur, vicinasque partes inficiunt, ni cito feratur auxilium. Temporis enim magna in tumoribus ratio eſt: Et qui facillimo negotio curari potuiſſent, (niſi gravior malignitas ſtatim adſit) neglecti difficulter ſanabiles aut immedicabiles fiunt. Quando namque diſcuſſionis tempus prætermittitur, vel ſuppuratio vel lethalis partis aut totius corruptio, vel induratio ſequitur.

In curandi itaque ratione non minor circumſpectio & mentis deliberatio adhibenda venit, ut quæque ſuo applicentur tempore partibus laborantibus, & conveniens cuique parti inſtituatur Medicina; quæ enim huic tumorum generi conveniunt, alteri nocent. Si diſcusſio vel locum amplius non habere, vel pure jam confecto externa medicamenta nimis tardæ efficaciæ eſſe

ap-

appareat, ferrum ſæpe ſanat, quæ medicamenta ſanare non potuerunt, juxta aphoriſmum 6. Sect. VIII. Nec cunctandum eſt: Pus enim vel materia corrupta diutius retenta plures ſanas vicinasque in conſenſum trahit partes, & in ſuam ſubſtantiam convertit: Interdum etiam ſi acrior ſit, ipſa invadit oſſa, ea corrodit & morbos longos efficit; confer. Gualth. H. Rief Chirurg. p. 160. J. Andr. de Cruce p. 371. Secandum itaque eſt pro neceſſitate & exigentia circumſtantiarum, ut quovis modo irruenti hoſti non modo obviam eamus & reſiſtamus, ſed eum etiam ex corpore ejiciamus. In his autem tum ad ipſum inciſionis modum & materiæ concluſæ conditionem, tum ad partis affectæ qualitatem ſerio reſpiciendum eſt; Aliæ fibrarum ordinata & ſingulari ſerie diſtinguuntur, nervis aliæ præ aliis magis præditæ ſunt; In aliis tendinum major copia oculos Chirurgi in ſe convertit, aliæ alias ſuppeditant difficultates, quæ peritia a Chirurgo, ſi poſſibile ſit, ſuperandæ veniunt. conf. Hildani Obſ. LXXIX. Cent. II. & Foreſt. Obſ. Chir. L. I. Obſ. III. ſchol. Exempla aliquot varii generis tumorum ſuppeditat b. Parens in ſequentibus obſervationibus, unde majorem lucem præfatis ſimul impertiri credimus.

Anno MDCLIV. menſe Julio vocabar in pagum Strinum, qui abeſt ab Urbe duo circiter paſſuum millia, ad ruſticum, qui ex ingenti tumore femoris, & exquiſitiſſimis inde natis doloribus jam diu decubuerat. Ita emaciatus omnibusque viribus ſpoliatus erat, ut muſcis abigendis ex facie impar mortui hominis ſpeciem referret. Tumor in tantum extenderat, ſine ulla tamen externæ cutis in colore mutatione hoc corporis membrum, ut magis abdomen quam femur referret, omniaque pure repleta erant. Exiguum tantum faciebam foramen, ne pus nimia quantitate erumpens cauſa fieret diſſipationis virium adhuc reſtantium: obſervamus enim, quando nimium una vice emittitur materiæ ſtagnantis, lipothymias ſimili modo ſupervenire, ac ſi ſangvis in nimia copia ex ſecta vena profluit: Octo propterea uncias

cias circiter ſaniei effluere ſivi, dictumque foramen bene obturans obligavi, ne quicquam amplius effluere poſſet; ſequente nocte aliqualis redierat quies & dolorum alleviatio, rurſumque mane & poſtridie quantitatem puris ejeci. Cumque hac ratione detumeſceret femur, ampliavi vulnus, quo medicamenta melius applicari poſſent: Tum linteis duplicatis decocto adſtringenti madefactis calideque impoſitis, & faſciis arctius ligavi ægrotum membrum. Sic tandem ſpatio quatuor ſeptimanarum rediit cum ſanitate in gratiam ruſticus, & pingvior evaſit quam antea fuerat.

OBS. XI.

SIMILIS TUMORIS HISTORIA.

ANno MDCLXVIII. fabri lignarii Uxor aliquot hebdomadibus doloribus artuum laboraverat tantis, ut lecto inde affixa fuerit: Tandem inſignis tumor ſiniſtrum femur & partem abdominis occupavit, qui dictum membrum contraxit, & omnem ingreſſum impedivit. In hoc ſtatu per aliquod tempus ob paupertatem decubuit, donec morbo ferendo penitus impar de auxiliis adhibendis ſerio tandem cogitaret ægra: Meam tunc opem imploravit. Maturantia ſtatim adhibui, ex quorum uſu ſuper inguina materia exitum molita eſt, & apertione facta erupit. Communicabat vero uterque tumor & inguinis & femoris inter ſe; quando enim femur comprimebatur manibus, pus ad inguina aſcendens per vulnus ibidem effluebat. Tandem convaluit ægra ex diuturno hoc morbo, & femur pure evacuato valde marcidum carne nova repleri cœpit.

OBS. XII.

TUMOR FEMORIS POST FEBREM QUARTANAM.

ANno MDCLXVIII. menſe Februario Vir mediæ caveæ tumore magno femoris dextri cum doloribus laborabat.

An-

Ante duodecim annos glande plumbea duos transverſos digitos ſupra genu trajectum fuerat os femoris, quod vulnus ſolidatum quidem ante quatuor annos recruduit, ramentis quibusdam oſſis exitum molientibus & tandem ejectis; putabat itaque patiens, & nunc nihil aliud fore quam Naturæ conamen, quæ lamellis oſſeis protrudendis incumbat. Pertrahere etiam memet in hanc ſententiam facile ſiviſſem, niſi femur non tantum in loco ubi læſio antea fuerat facta, ſed usque ad inguina valde tumidum, durum & dolens aliud ſuaſiſſet, & nullum ſignum oſſis præſentis apparuiſſet. Poſt multas quæſtiones dicebat æger, ſe per novem menſes laboraſſe nuper febri quartana, quam quidam variis remediis domeſticis expugnare tentaverit, eam tamen ſemper pertinaciſſime reſtitiſſe, donec infuſione tabaci in potum interius adhibita ſcandalum hoc Medicorum corpus reliquerit. Ab eo autem tempore vires ſemper defeciſſe addebat. Cutis femoris affecti non differebat colore a ſana. Quoniam durities magna aderat, emollientia adhibebam, poſt quorum uſum animadvertens materiam quandam purulentam intus latere, apertionem ſuadebam; ſed hanc quidem patiens quovis modo deprecabatur, imo admittere nolebat, adeoque contra voluntatem ea ad tempus differenda erat. Interea ipſa natura conſilium meum approbabat, dum cicatricem veterem elevando materiæ ſepultæ ejectionem tentabat, ſuccurrebam ipſi in ſuis moliminibus, & cultro incidebam iſtud tuberculum; ſed nec ita expurgari ſufficienter poterat latens ſpurcities & neceſſum erat in altero femoris latere tumorem incidere. Tumque decreſcere ſenſim incipiebat femur, & decocta lignorum, aliaque ſanguinem purificantia cum injectionibus officium præſtabant, totique morbo, qui nihil aliud videbatur quam fluxio quædam & febris quartanæ remanentia, poſt tres ſeptimanas felicem imponebant finem. Nullæ vero oſſis partes ſeparatæ ſunt vel apparuerunt.

Hi tumores docent, quod, quando natura debilis eſt, & in ſuis operibus aberrat, medicamentis autem idoneis eidem in tempore non ſuccurritur, multum feculentiarum in certis locis colligatur, cumuletur, iisque tandem cum doloribus majoribus minoribusve ægroti liberetur humanum corpus.

Superantur quidem multi morbi Naturæ beneficio, ſeu jugi liquidorum in corpore motu, & aurigante Natura melius procedit curatio, cum, monente Celſo L. III. c. I. in nullo morbo plus fortuna ſibi vindicare quam ars, ars quam natura poſſit, utpote cum repugnante natura nihil Medicina proficiat. Non tamen omnis labor huic ab ægroto vel Medico, ejus miniſtro & adjutore relinquendus eſt. Quam ob rem tempore Proſperi Alpini Ægyptii artem medicam habuerint vitioſam ipſemet non male *de Med. Ægypt. L. I, c. III.* hinc deducit, quod Medici & ægroti morbis adulentur, naturæ omnia committant, & volenti appetitui omnia concedant, *affirmantes nihil a natura appetitum poſſe ægros offendere, quando naturam ipſam tutius ac prudentius ad corporis tutelam moveri, quam Medicos affirmandum ſit.* Præterea autem quod morbus per ſe finem habiturus, citius auxilio tollatur, judice Celſo L. II. c. XIV. p. 89. poſſunt etiam ab ægro, præſentibus & externis, juxta Hippocratis aphoriſmum primum Sect. I. innumeræ naturæ optima molientis remoræ poni, ut absque arte, & qui hanc callere debet, Medico, & Medicamentis exoptatisſima Sanitas vel tardiſſime, vel plane non recuperetur: Hic enim cum ratione agens ægris tanquam Dux militibus, & Rex ſubditis imperat, uti loquitur Galenus. Multum antiquis jam temporibus tribuerunt Medici medicamentis & Eraſiſtratus, Herophylus, aliique Viri nullum fere morbi genus ſine his curarunt, & manus Deorum appellarunt. Horum autem uſum etſi ex magna parte magni nominis Medicus Aſclepiades ſuſtulerit, & curam ſuam ad victus rationem transtulerit, media tamen via incedendum eſſe optime judicavit Celſus, quando allegatis in Præfatione

Libri

Libri quinti hæc ſubnectit: *Verum*, inquiens, *ut illud in plerisqu morbis utilius eſt, ſic multa admodum corporibus noſtris incidere conſueverunt, quæ ſine medicamentis ad ſanitatē pervenire non poſſunt.* Arti adeoque & remediis in morbis acutis ſuus omnino relinquendus eſt locus, & non ita ſæpe ſolius naturæ beneficio judicantur; non magnus equidem medicamentorum apparatus ſemper requiritur, & communia etiam officium aliquando faciunt: præterea diætæ ratio, & potus ejusque varia genera non inepte inter medicamenta certo reſpectu numerantur, quando iis humores totumque corpus alterari in propatulo eſt. Requiſivit jam Celſus artem, & Naturæ adjutorem in acutis morbis, cum L. III. c. XVIII. p. 150. inquit: *Continua febris habet tempora quibus etſi non remittit, non tamen creſcit: Eſtque hoc ut non optimum, ſic ſatis tamen ſecundum remediis tempus.* In longis vero ægritudinibus major remediorum eſt neceſſitas, & adhibendorum commoditas, rurſus Celſus c. l. c. I. p. 112. „ Magis ignoſcendum Medico eſt, parum proficienti in acutis morbis quam in longis. „ Hic enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non „ profuit, æger exſtinguitur: ibi & deliberationi & mutationi re- „ mediorum tempus patet, adeo ut raro, ſi inter initia medicus „ acceſſit obſequens æger ſine illius vitio pereat. Longus tamen „ morbus cum penitus inſedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto „ par eſt. „ Late autem artis remediorumque neceſsitas & Naturæ inſufficientia per varios morbos deduci & probari poſſent, ſi quidem id requireretur. Artis etiam merita in morboſa mortalium corpora magis conſpiciuntur eo caſu, quando vel morbus gravius ſtatim machinam humanam impetit, aut etiam ſucceſſive vitiat, vel ex negligentia hominum & nimia confidentia corpori infeſtus evadit. Sic in cholera natura non ſufficiens eſt, ut impetuoſos iſtos & præternaturales periſtalticos inteſtinorum motus ſopiat; neque hectica ultra principium paulum provecta ſola naturæ opera ſuperatur; magis enim increſcens omnes artis & naturæ conatus

non raro ſpernit. Probant porro multæ ægritudines viribus nimium confidendum non eſſe, & morbos in initio neglectos, pertinacius poſtea reſiſtere, ſi per aliquod tempus ſibi relinquuntur, qui tamen antea facile ſuperari potuiſſent. Omnibus enim momentis nova fere contingit morbi accretio, & quæ ſemel infecta ſunt labem contractam latiſſime propagant; perditur etiam tonus ſeu vigor partium ſolidarum, ut difficillime reſtitui queant. Præter alia tumores luculentum ſuppeditant exemplum, in quibus quotidie copioſæ materiæ peccantis fit geneſis, & ſolidi depravatio; ſordes enim illas non eluit ſibi ſoli relicta natura, ſed earum etiam perpetuum incrementum impedire neſcit, unde quidem maximæ moleſtiæ, & gravia pericula in homines redundant, quorum aliquot exempla in Obſervationibus hiſce reperire licet. Nihil dicam de Chirurgia, in qua ars prærogativam fere præ natura contendere videri queat. Sed ea longius exequi inſtituti ratio & locus non permittit. Illud autem, ſi in ſummam contrahamus dicta, ex his aliisque patebit, Naturæ quidem magnam efficaciam, ei tamen in medela morborum nec omne adſcribendum, nec committendum, ſed arti & Medicinæ magnas in illo negotio etiam partes eſſe, & ambas Deas ſalutares dici debere.

OBS. XIII.

TUMOR DURUS IN CRURIBUS POST HYDROPEM.

PAſtoris diœceſis Mœkeranæ filius viginti trium vel quatuor annorum a longo tempore hydrope ſcorbutica laboraverat: Ceſſerat ea maximam partem medicamentis a Medico Celeberrimo adhibitis, nec abdomen amplius diſtendebat, crura vero & pedes occupaverat tumor magnus & præter modum durus. Cauſa fuerunt fortaſſis præter morbi pertinaciam & gravitatem cucurbitulæ ſæpiſſime cruribus durante morbo impoſi-

poſitæ. Præterea in balneo ſuper varias herbas ſudor frequentiſſime & copioſe elicitus erat; Quibus quidem arbitrabar partes ſubtiliores diſpulſas fuiſſe craſſioribus remanentibus. Cum anno MDCLIV. menſe Majo meam opem efflagitaret, corpus valde emaciatum, crurum vero tumor talis erat, qualem figura in Tabula exhibet. Curam auſpicatus a bona diæta, tumorem decocto emollienti fovi, quod pedes & caput vituli ſimul ingrediebantur: Huic imponi curabam crura usque ad genua. Exemti deinde pedes fricabantur linteis calidis, poſtea ungvento emolliente, tandem iisdem imponebatur Cataplaſma ejusdem efficaciæ. Hiſce continuabatur, donec tumor de renitente duritie remitteret. Tumque plura diſcutientia admiſcui; interdum lateri calefacto acetum vini, cui abſinthium viride minutiſſime conciſum permixtum erat, injeci, vaporemque inde elatum cruribus probe tectis excipiendum curavi cum emolumento non levi. Interdum loco Cataplaſmatis emollientis, Emplaſtrum de meliloto, cum emolliente Foreſti, diachylo cum gummi, it. gummi Ammoniaco & Galbano in aceto diſſoluto, cum Mercurio vivo in adipe ſuilla extincto præparatum applicui tumidis partibus. Hocque modo diſcutientia emollientibus frequenter interpolavi. Poſtea cum vires aliquomodo redirent, infuſionem ex Rhabarbaro & Gialappa leniter purgantem ægroto propinavi; deinde etiam decoctum Chinæ & Sarſeparillæ præbui ad ſudandum. Ita ſenſim difformis iſte tumor diſparuit, ultimoque ægrotus ſanitati reconciliatus per aliquod tempus geſtavit emplaſtrum diaphoreticum cum emplaſtro Vigonis de ranis cum Mercurio & integre convaluit.

Specificorum nomen in Medicina hactenus tam celebre fuit, neque nunc eſſe deſinit, ut, qui plures eorum titulos nominare ſciat, ſcientiæ aliquam laudem ſibi acquiſiviſſe videatur: Cum tamen nihil propius ad Agyrtarum & circumforaneorum artem accedat, quam hæc ipſa decantatio. Scimus equidem quadam

remedia appropriata magis eſſe aliquibus morbis quam alia, uti de radice hipecacuannæ in dyſenteria, etſ. conſtat, eo ipſo tamen ſpecifica eorum morborum remedia fieri nequeunt, cum illud probatum eſt fide non ſemper conſtet. Hominum enim corpora multum inter ſe ſunt diſſimilia, & ut facierum rara eſt ſimilitudo, ita rarior fortaſſis adhuc duorum hominum conſtitutio quæ nihil diverſi & diſtincti involvat. In æqualitate autem temperamentorum, ut hoc in tranſitu dicam, magnum ſanitatis procurandæ momentum conſtituit quondam celebris Burrhus; cum enim conſilium ejus pro homine inſigni debilitate ſpinæ dorſi, quæ omnia medicamenta eluſerat, a multis annis laborante aliquando peteretur, conſuluit, ut eligeretur quanta poſſit diligentia homo ejusdem cum ægroto ætatis, temperamenti &c. hicque firmiter alteri alligetur, ita ut dorſum dorſo, & ſpina ſpinæ accurate reſpondeat; deinde ut per longum ſatis tempus hi ambo connexi maneant, quo exhalationes a ſano corpore egredientes morboſi poros ſubeant, idque quod debile & præternaturale eſſet firment atque corrigant. Illud autem ſcimus portentoſam hancce curandi methodum non modo non adhibitam, ſed riſu etiam expoſitam fuiſſe. Poſtea etiam morbi non ſunt iidem ſed aliam faciem exhibent, & alia adjuncta habent ſymptomata, in quibus ſpecificis nihil efficias. Accedit tempeſtates & conſtitutiones anni ſingulare aliquid veluti reconditum habere, ſcribit hinc Sydenhamius: *Hoc pro comperto habeo ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, prædictas morborum ſpecies, præſertim continuas, ita toto, quod ajunt, cœlo differre, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa, anno jam currente forſitan e medio tellas etſ.*

Præſtat itaque ut in eo elaboretur, ut ægrotorum temperamenta, ſeu conſtitutiones, morborum cauſæ, eorum genium, medicamentorum deinde qualitates & alia probe perdiſcantur, & hæc deinde juſto tempore, recta doſi, ſuisque morbis cum ratione

tione & judicio applicentur. Hæc ſi fiant, & notiſſima & communiſſima medicamenta feliciter id, ſi cætera conſentiant, exequentur quod debent, & ſpecificorum etiam longo præfamine laudatorum famam ſuperabunt. Si vero nulla aut minor horum habeatur ratio, non mirandum eſt, morbos ſiniſteriores habere eventus. Ante tres annos laudabatur fœminæ fere ſeptuagenariæ balſamum ſulphuris terebinthinatum ad renum calculum, illa huic paſſioni obnoxia gaudet de reperto tam inſigni remedio, & illud communicat etiam Viro amico, LXV annorum ex perſuaſione ſaltem nephritico. Sumunt omnibus diebus XL vel L guttas. Exinde autem fœmina in tam atroces conjecta eſt dolores nephriticos, ut in ancipiti fuerit vitæ periculo. Vir autem doloribus ſcorbuticis & diſpoſitioni ad hecticam obnoxius ſputum ſibi contrahebat ſangvinis, unde febris conſumens magis accenſa cum multiplicibus ſymptomatibus vitæ tandem fecit finem. Optima hac ratione medicamenta male uſurpata nocentiſſima fiunt, ſcilicet omne ſacrum plebs importuna profanat. Volatilium & valde commoventium uſus in multis morbis præſtantiſſimus eſt, non tamen ſemper locum habent; quod nimium commovendo humores craſſos anguſtiis vaſorum nimium impellant, ad motum aptiores diſpellant, & reliquos crudos relinquant, ut alio loco oſtendimus. Hinc nec in Hydrope aliisque morbis ſalutares omni tempore obſervantur, & non raro diſruptionum vaſorum, vel pertinaciſſimarum aut perpetuarum obſtructionum aliarumque incommoditatum cauſæ fiunt & autores. Reſpectus affectuum & remediorum habendus, & quædam increſcentibus, quædam inclinatis conveniunt. Circa debitum ordinem in uſu præcipitantium obſervandum & tradendum quando Doctiſſimus Ettmullerus in elegantiſſima diſſertatione de præcipitantium uſu & abuſu cap. III. §. 19. occupatus eſt, ſequentem annectit obſervationem: Mulier mediæ ætatis hyſterico-ſcorbutica ſimulque ſplenetica præter ſenſibilia eaque ſpasmodica abdominis pathe-

mata

mata ad melancholiam declinans, una cum menſium ultra tres ,
menſes ſuppreſſione ab exhibitis ſpiritꝰ Salis ammoniaci part. III. ,
cum ſpiritus cochleariæ part. I. mire offendebatur, omnibus ſym- ,
ptomatibus notabiliter exaſperatis, ſed ſepoſito tantiſper hujus ,
uſu, & præmiſſis abſorbentibus, martialibus, coralliatis, ſalibus ,
fixis, interpoſitis paucis laxantibus, & ſic ſaturatis & edulcoratis ,
acrioribus primarum viarum contentis, repetito ejusdem ſpiri- ,
tus uſu, mire recreabatur, & cum ſenſili levamine per plures ,
dies ejusdem uſum continuabat. , confer. Excell. Hofmanni ,
tract. de acido & viſcido. item Doctiſſ. Berner, amicus noſter, de ſalis volatilis geneſi uſu & abuſu. De aliis remediis id demonſtrare etiam facillimum eſſet, ſi longius excurrere placeret.

OBS. XIV.

TUMOR INGENS IN FEMORE.

HAnc cum ſequenti obſervationem communicavit mihi anno MDCLXIV die vigeſimo quinto Februarii, expertiſſimus Chirurgus Daniel Hofmannus Freybergenſis, ex quibus apparet, præter ſupra allata, quam neceſſaria ſit in tempore inſtituta tumorum quorundam apertio. Duodecim circiter, ſcribit, effluxerunt anni, cum Illuſtris quidam Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarius ex equo ceſpitante præceps daretur in terram; quærit ſtatim Medicinam femori lapſu hoc contuſo apud Virum, qui artis Chirurgicæ non ignarus eſſe debebat. Hic totum femur ab lumbis usque ad genu emplaſtro diaſulphuris Rulandi obtegit. Vix per tres dictum emplaſtrum inhæſit cuti dies, cum fluxio veluti quædam exorta tumorem ingentem excitavit, lapidem fere duritie referentem. Videns autem Vir curam affectus gerens rem male ſuccedere, & animo prævidens ſiniſteriorem eventum, alium tamen conſulere turpitudini ſibi ducens, multis rationibus perſvadet Generoſo ægroto, ut aquas adhi-

adhibeat calidas Döplizenſes, quoniam nullum aliud huic malo ſuperſit remedium. Nec mora, quin ſanitatis cupidiſſimus patiens laudatas thermas adierit: Non autem per integros quatuordecim dies balneo uſus fuerat, cum femur majorem in modum tumore elevatur, & priorem duritiem retinet, ſi non ſuperat, imo ægritudo tam vehemens fit, ut mors præ foribus eſſe videretur. Hoc rerum ſtatu Döplizam evocor, ut in ancipiti malo auxilium conſiliumque afferam. Poſtquam omnia diligenter conſideraſſem, ægrotum Dresdam protinus pervehendum ſuaſi, quod locum hic minus commodum ipſi judicarem. Quo ubi pervenit, eo etiam accerſor; Adhibebam ſtatim in conſilium duos Sereniſſimi Electoris Archiatros, & Chirurgum ejus. Maxime nitebar, ut apertio quam primum fieret, ea enim facta & pus profunde latens effluxurum, & ægrum dolorum præſentaneam remiſſionem percepturum. Obſtare videbatur renitentiſſima durities. Sed & hæc ſuperabatur difficultas, cum ſpatium inter duos muſculos ternarii magnitudine noſtris conatibus faveret. Ibidem enim culter adactus felicem materiæ fecit exitum; tandem integre convaluit æger, & conſueta munia domi foriſque obire ſine ulla moleſtia potuit. Unde equidem conficitur, melius eſſe in tempore tumores aperire, quam ſimulare & tandem tamen funeſtum eventum videre.

OBS. XV.

TUMOR FEMORIS PLANE SINGULARIS.

ANte ſex annos, idem Vir exercitatiſſimus in præfatis literis pergit, miniſter quidam Eccleſiæ hujus civitatis memet ad ſe vocabat, ut contemplarer femur pueri ex pago, quem in ædibus ſuis habebat. Hic, uxorem militis ex petulantia petit lapide; Illa ad puerum converſa in hæc erumpit verba: Te equidem pœnitebit facti antequam longe progrediaris,

aris. Non tres præterlabuntur horæ, cum vehementes dolores dilacerantes quaſi dictum femur paulo ſupra genu occupant, mox durus tumor ſine ullo tamen rubore enaſcitur, qui cum iſtis continuo perſeverantibus torminibus omnem ingreſſum impedivit. Emplaſtrum diſcutiens in initio impoſui, ſed ſine ullo fructu; Quisque vero, qui noverat mulierem, magicæ artis eam inſimulabat. Sine ulla tandem hæſitatione locum tumoris, ubi dolores omnium vehementiſſimi erant, longa inciſione aperui, & ſucceſſive ſeptem oſſa alba exemi, articulum dimidium digiti æquabant fere magnitudine, ita tamen ut majora minoraque eſſent. Os vero femoris ſine ulla labe fuit a me deprehenſum, ſuoque perioſtio probe tectum, ut quisque abſtruſam cauſam mali hujus fuiſſe facile cognoſceret. Puer autem exemptis oſſibus brevi priſtinam recuperavit ſanitatem. Huc usque laudatus Hofmannus.

OBS. XVI.

RAMENTI OSSIS DESCENSUS ET INDE TUMOR FEMORIS.

JUveni viginti duorum annorum Hafniæ per plateas noctu vaganti anno MDCXXXV menſe Julio a milite ſtationario utrumque femur prope ab inguine unius circiter & dimidiæ manus latitudine plumbea glande diffringebatur. Reſtituebatur is ope chirurgica poſt moleſtiſſimum longiſſimoque tempore in lecto decubitum priſtinæ ſanitati ſatis feliciter; niſi quod alterum crus gravius læſum pollicem latum præter propter brevius fieret altero, & genu aliquanto rigidius & inflexile redderetur. Poſt integri anni lapſum cum muneris officia expedite obiret, dolor quidam interiora occupans, isque moleſtiſſimus genu invaſit. Putabant aliqui debiles nervos infeſtari defluxionibus acribus: Verum dolor magis magisque increſcens in tumorem

tan-

tandem elevabat partem genu exteriorem. Mollis erat undique & lividus, ut in ſaniem abiiſſe humores ſatis appareret. Sedulo tum adhibebantur medicamenta quæ pus movebant; poſtea ne labe ſua vicinas partes inficeret, cultro pertundebatur tumor. Pure effluxo, nec tamen dolore ceſſante poſt aliquot dies oſſiculum craſſite ſua dorſum cultri, longitudine vero & latitudine duos digitos transverſos æquans, prodiit, quod a læſionis loco usque ad hanc partem mirando Naturæ conatu & ſtudio viam ſibi per medias quaſi carnes fecerat. Foramen in ejus medio conſpiciendum ſatis demonſtrabat illud a loco læſo huc ſeceſſiſſe, globuli namque capax erat. Poſtea vulnus cum emolumento ægri coaluit.

OBS. XVII.

TUMOR FEMORIS INGENS CUM CORRUPTIONE OSSIS.

ANno MDCXLII cum Pariſiis viverem, Monacho cuidam Ordinis Oratorii ex catarrho tumor durus cum exquiſitisſimis doloribus in femore exſurgit, gravem toti corpori ſimul contrahens morbum. Deferebatur ob commoditatem in Noſocomium celeberatisſimum, la Charite, vocatum; Ubi Dominus Rufin, Chirurgus Noſocomii experientiſſimus ſedulam ejus habebat curam. Sed omnium medicamentorum emollientium & aliorum collocatique laboris nullus ſalutaris fuit uſus; & poſt quatuor ſeptimanas æger diem obiit ſupremum, cum totus morbus tres menſes duraſſet. Poſt mortem præſentibus multis Chirurgis tumor in ſuperiore femoris parte ſectione usque ad os ſublatus eſt. Sanguinis nulla fere erat nota, nec color erat carni ſimilis, ſed referebat ſubſtantiam uberum vaccinorum coctorum, cum gypſo permixtam; erantque partes hujus tumoris in quibusdam locis tam duræ, ut a lapidibus nihil fere differrent. Vocabatur hæc moles ad ſtateram pondereque viginti quinque li-

bras æquabat & in memoriam ibidem conſervata eſt. Relinquebatur nihilominus in parte inferiore femoris magna tumoris portio.
Iſtud autem obſervatione omnibus dignum fuit. viſum quod os femoris totum ſub tumore illo diffractum conſpiceretur.

OBS. XIIX.

SIMILIS ARGUMENTI HISTORIA.

CUjus rei non alienum videtur aliam obſervationem ejusdem argumenti adjungere, quam Celeberrimus Ibrandus de Diemerbroek anno MDCLXIV. die vigeſimo octavo Maji occaſione data communicavit. Ita autem infit: Ante quatuor circiter annos Woerdam vocatus fui ad juvenculam viginti quatuor aut quinque annorum, validam & carnoſam, cui a multis menſibus totum ſiniſtrum femur admodum intumuerat tumore ſubfrigido. Medici & Chirurgi iſtius civitatis multa ſubſidia fruſtra adhibuerant: Tandem etiam meo conſilio nonnulla immutata, quædam nova adhibita ſunt remedia, quibus tumor ad ſuppurationem in inferiore femoris parte deductus, & palmæ longitudine ſupra genu abſceſſus apertus eſt, e quo primo pus nonnihil aquoſum, poſtea mera ſanies aliquamdiu effluxit. Immisſis ſtylis perceptum eſt os nudatum, inæquale, & prorſus ſcabroſum eſſe. Ad carioſæ partis ſeparationem, dilatato ulcere convenientia quædam remedia longo tempore a nobis fuerunt infuſa, & per os quoque varia exhibita. Tandem facta eſt carioſi osſis ſeparatio, & per transverſum pars osſis femoris, una cum medulla in medio ſuo foramine contenta excidit, ad latitudinem duorum digitorum, &, quod maxime admirandum, inferioris ſuperiorisque osſis femoris fines (qui latitudine circiter duorum digitorum ob elapſum os a ſe mutuo diſtabant) mediante firmiſſimo & longius excreſcente callo, ita coaluerunt, ut unum crus non remanſerit brevi-

vius alrero, ſed exactiſſimam longitudinem ſervaverit, & non minus firmum evaſerit quam alterum. Os elapſum undiquaque inæqualiter eroſum & perforatum: Exinde hæc ægra optime valuit, neque amplius quicquam incommodi in crure ſenſit.

OBS. XIX.

TUMOR CARTILAGINOSUS IN GINGIVIS POST DOLORES DENTIUM.

DEntium apud Antiquos magna cura fuit, ut nitidi eſſent. Hinc cum Domitius Tullus omnibus membris extortus & fractus eſſet, ac ne in lectulo quidem, niſi ab aliis moveretur, dentes lavandos fricandosque præbuit, ut tradit Plinus *Libr.* VIII. *epiſt.* XVIII. Ut nitorem iſtum conſervarent, variis rebus, iisque aliquando ſordidis utebantur. Catullus *carm. XXXVII* ita canit:

> Nunc Celtiberus Celtiberia in terra
> Quod quisque minxit hoc ſibi ſolet mane
> Dentem atque ruffam defricare gingivam;
> Ut quo iſte veſter expolitior dens eſt
> Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti.

Alias res recenſet Apulejus in *Apolog. L. I.* Q. Sammon: Serenus *Libr. de Medic. cap. XV.* & Plinius Valerianus *L. I. cap.* XXXVI *ſqq.* apud Nobiliſſimum Barthium *Adverſ. L. II. cap.* XIV. *p.* 79.

Nec vituperanda eſt hæc cura; cum immundities in dentibus & gingivis relicta præter animam foetidam, vitia iis affricare, & dolorum cauſam conſtituere poſſit, quatenus in dentibus atque gingivis, vel eorum interſtitiis hærendo acrior evadit, & corroſione poſtmodum moleſta eſt. Plures aliæ ſunt Odontalgiæ cauſæ internæ & externæ; dumque acredo ſangvinis magis peccat, dolorem pungentem vel ſcindentem, Vermes, roſionem

 fere

fere perpetuam, pituita autem ſenſum aliquem moleſtum, contundentemque & obtuſum magis dolorem infert, quaſi expanderentur cuncta & inflarentur. Quemadmodum vidimus talem odontalgiam cum tumore maxillarum aliquoties alternantem, ita ut dolor moleſtiſſimus urgeret, donec intumeſceret maxilla, qua detumeſcente, antiquum dolor dentium occupabat rurſus locum, purgationibus, veſicatoriis, ſudoriferisque tandem poſt longi temporis tædium cedens. Quoniam autem non ſemper unum particularum ſangvinis genus peccat, ſed aliæ etiam in conſenſum trahuntur, hinc dolorum magna etiam eſt latitudo & quaſi commixtio. Non vero gingivæ tantum ſunt quæ dolent, ſed ipſi dentes, quod vaſis ſuis & nervis eodem gaudeant modo ac reliquæ corporis partes. Refert Illuſtris Boyle *de corp. animal. peroſit. cap.* VII. *p.* 21. ægro cuidam, qui mercurialibus inunctionibus vehementius erat ſalivatus, e molaribus inferioris gingivæ dentem avulſum fuiſſe, ob ſummum quem incuſſerat dolorem; quem dentem cum curioſius inſpexiſſet Medicus, magno ſuo ſtupore guttulam veri Mercurii in tenui radicis cavitate reperit, quæ tenuia, pergente ita illuſtri Scriptore, continet vaſcula, quibus alimentum una cum ſenſu denti communicatur, in pluribus autem quam in una trium dentis radicum, aſſeruit Medicus, verum ſe reperiſſe Mercurium, ſed permodicum. Clarius hæc demonſtravit Experientiſſimus Ruyſchius *Theſaur. Anat. pr. pag.* 48. *ſq.* quando dentes in fœtu molles eſſe, & interne innumeris arteriolis ſcatere, membranam vero dentium ſubſtantiam inveſtientem etiam vaſis ſimiliter præditam eſſe, docet. Hæc autem vaſcula inſeruntur & annectuntur canaliculis & ductulis (quibus tota dentium natura conſtat) oſſeis, qui nunc preſſius, nunc laxius quodammodo ſibi invicem accumbunt, uti ex laudati Ruyſchii *c. l. p.* 16. obſervatione colligi poteſt; in uno enim ex dentibus inciſoriis ſecundum longitudinem diſſecto in maxilla inferiori triplex ſubſtantia obſervari potuit; extima colore fuit albicante, media

griſeo

griſeo, tertia vero dilutiore colore griſeo gaviſa eſt. Confer. Malpighii *Anat. Plantar. pag.* 4.

Hac itaque ſtructura cognita, facile deprehenditur, doloribus & aliis morbis opportunos eſſe dentes, ut alias corporis humani partes, & propter nervos eorumque tenſionem dolores hic vehementiores eſſe quam alibi. Remedia contra hos cruciatus inventa ſunt, vel potius jactantur & adhibentur quotidie innumera: Ita ut nemo cujuscunque etiam ſit conditionis reperiatur facile, qui euporiſton non laudet. Teſtimonium præbere poteſt Gonella, facetus quidam callidusque homo, qui Nicolao Marchioni Ferrarienſi catalogum trecentorum ſpecificorum ſibi contra odontalgiam a Ferraræ incolis communicatorum exhibuit, uti hæc latius legi poſſunt in antiquo Sermonum convivalium libro. Inter remedia autem ponitur etiam gingivarum roſio, & interſtitiorum dentium cuſpidibus variarum rerum ſolidarum excusſio. Dentiſcalpia non tantum ex argento, ſed præprimis ex Lentiſco parata antiquis celebrata ſunt. Ita Martialis:

> Fodit tonſis ora laxa Lentiſcis.

Et alibi de Dentiſcalpio:

> Lentiſcum melius: Sed ſi tibi frondea cuſpis
> Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Quia vero hæc quidam Dentiſcalpia ſemper in ore tenebant, σχινοτρῶγες ſeu Lentiſci arroſores per jocum dicti ſunt; quod iis non tanquam remedio & ad laxas gingivas, ad dentes purgandos, ſed præter neceſſitatem & ex ſola tantum conſuetudine uterentur. Non quidem negaverim, cruentatione gingivarum dentiſcalpiis, vel ungvibus, aciculis, cultro aut ramento ligni quercini fulmine tacti (quod inter ſpecifica odontalgiæ recenſetur) facta, dolores interdum cedere, quod preſſio ex impetu concluſi & expanſivi ſanguinis oriunda quodammodo imminuatur, cui ſcopo venæ

ſectio

ſectio interdum inſervit vid. Riverii *Prax. Med.* L. *VI. cap. I. p.* 285.
Si vero ductuli nimium comprimantur, aut dilacerentur, varia gingivarum vitia oriuntur, ita ut nunc nimium plorent ſanguinem, nunc putredine corrumpantur, nunc vero excreſcant, & in tumorem eleventur gingivæ; hac autem ratione dum tumor ille continuo augetur, non loquelam tantum turbat, ſed maſticationem impedit, perpetuumque tandem oris ſaliva fere ſemper ſqualidi hiatum efficit.

Catharina Kriegs vidua quinquaginta annorum, anno MDCLXVII. dolore dentium vehementiſſimo laboraverat; Ad imminuendum dolorem cultri cuſpide gingivas ſæpius cruentavit. Poſtquam temporis longinquitate dolor ceſſavit, tuberculum enatum eſt in gingivis magis pruriens quam dolens hinc ſæpius illud fricuit. Succedente autem tempore majora incrementa ſumſit, ut cum anno MDCLXIIX. apud me quæreret auxilium, magnitutine nucem juglandem exæquaret, & labiis tegi amplius non poſſet; durum valde erat, gingivis firmiter adhærens. Medicamentis exſtirpari non poterat, ſed ferro tantum & igne. Mane itaque aliquo filo ex ſerico craſſiori per hunc tumorẽ trajecto immobilem eum ſiniſtra manu tenui dextra vero cultro funditus exſecui. Tres dentes ſuper quorum radices extenſus fuerat tumor, vacillabant, & alter oculi dictus dens, a maxilla usque ad ſummam radicem denudatus conſpiciebatur; prope quam ſanguis ex læſa arteriola cum impetu erumpebat. Totum locum quo exciſio facta erat cauterio actuali inurebam, ne recreſceret tumor, & maxillæ os amplius corrumperetur; deinde linteola aqua viridi madida impoſui, & quotidie pro elutione oris Tincturam Gummi Laccæ cum melle roſarum & unguento Ægyptiaco mixtam ordinavi. Ita tandem maxilla & gingivæ ad priſtinam redierunt integritatem. Tumorem autem reſectum, quia is tam durus erat, in aliquot partes diviſi; materia

in-

intus contenta veluti cartilaginea erat. In medio oſſiculum ſcabrum & inæquale latebat.

OBS. XX.

TUMOR DURUS IN MAXILLA INFERIORE.

ANno MDCXLV pincerna Illuſtriſſimi Comitis Oldenburgenſis tumorem habebat in maxilla inferiore prope aurem ſiniſtri lateris, immobilem, & inter muſculos concluſum, magnitudine ovi gallinacei. Adhibuerat jamdum conſilio aliorum interna externaque remedia, & præprimis Cataplaſmata, quibus ſuppuratio promoveri debuit, ſed incaſſum. Tandem cauteria potentialia impoſita ſunt, quæ præter dolorem nihil præſtiterunt, & vulneris iis inducti conſolidatio rurſus permittenda fuit. Nullum proinde remedium videbatur huic tumori ſufficiens præter cultrum. Quoniam autem iter neceſſarium ſuſcipiendum erat, curam fratri meo commiſi. Ille ſequenti methodo hominem moleſtiſſimo affectu liberavit: Inciſione duorum digiti articulorum longitudine facta, cutem ſeparavit, & totum tandem tumorem exſcidit, materiam concludentem duriuſculam & vitello ovi fere ſimilem. Præterlapſis aliquot diebus ſimilem materiam inter muſculos adhuc latentem obſervavit, quam quidem cultro removere contendit, quoniam vero loci incommoditas operationem manualem impedivit, exedentibus & corroſivis ad fundum usquedimiſſis reliquum abſumere conatus eſt; Succeſſit etiam negotium, & vulnere ſatis ampliato ejecta materia inutili caro ſana ſuccreſcere denuo cœpit. Cæterum gingiva ibidem loci tumida & dura manſit; inquirenti ulterius dens apparuit corruptus; quo extracto ſimilis materiæ, quæ exteriorem maxillæ partem occupavit, ſed durioris ma-

gnam quantitatem cum radice dentis firmiter connexam reperit, qua etiam exturbata, integre tandem patiens convaluit.

OBS. XXI.

TUMOR IN PALPEBRA MATERIAM CALCI SIMILEM INCLUDENS.

INcluduntur partes quædam a maſſa ſangvinea præter naturam abſcedentes propriis membranis, cumque latera cumulatæ diſtendunt tumores conſtituunt, cyſticos propterea ſeu veſiculares dictos. Magna autem in his tumoribus obſervatur materiæ diverſitas, quæ quidem variis nominibus inſigniri ſolet, ut Meliceridis, Steatomatis, Atheromatis etſ. quoniam vero præter melli, ſevo, & pulti ſimilem materiam, & alia ſuis veſiculis incluſa reperiuntur, manifeſtum eſt, plura nomina poſſe ſuperioribus adi, ſi quidem rem clariorem inde fieri quisquam ſibi perſvadeat. A parvis vero initiis incipientes hi tumores paulatim incrementa ſumunt, & vel ulterius creſcunt, vel ad certam magnitudinem producti ſubſiſtunt. Cauſæ, vel externæ vel internæ fuerint, omnia ea ſunt, quæ ductuum vel oſculorum magnitudinem, figuram &c. immutare valent, ut ſucci vitioſe ſeparentur a reliquis: Vel etiam quæ ipſos humores ad craſſitiem majorem redigere, vel partium metamorphoſin quandam introducere valent. Quando autem diutius, ut communiter fit, relinquitur ſibi tumor, materia longo illo temporis tractu varie invertitur, craſſiorque, tenacior, alioque modo mutata redditur: Ubi tamen non omnia tempori adſcribimus, ſed etiam diverſitati particularum ſecretarum; facile enim conceptu eſt, multas craſſas cum ſalinis ſeparatas arctius inire conjugium, quam alias iisdem carentes, ſolas mucilaginoſas aut ad oleorum naturam accedentes, etſ. Rarius hi tumores ipſi valde dolent; actionem vero partium ſæpius lædunt, & dolorum cauſæ ſunt, uti ſuperius demonſtratum, quatenus

nus partes adjacentes comprimunt, peregrinamque nervorum af-fectionem, & moleſtam in mente ſenſationem producunt. Inter curioſiora referri meretur, quod celebris Amſtelodamenſium Chirurgus Henricus a Roonhuyſen in muliere ſteatoma in axilla geſtante obſervavit. Incommoditatem ſcilicet ex hoc tumore ſemper minorem fuiſſe, quando ipſa uterum geſtavit; majorem vero factam, poſtquam infantem peperit, vel lactavit. Obſ. Chir. II. Ipſa vero materiæ in ſua tunica incluſio, & quietus decubitus faciunt, ut diu geſtentur, imo ſæpius ad mortem usque hi tumores. Curatio medicamentis difficilis eſt, quod materia craſſa & tenax diſſipationi reſiſtat, & communiter non in initio, ſed quando per aliquod tempus durarunt hæ excreſcentiæ medicamenta vocentur in auxilium. Communius vero ſectione auferuntur, ſi quidem locus difficultatem inſuperabilem non pariat. Vidimus ante plures annos ſteatoma majoris quam pugni magnitudinis ſub brachio ſiniſtro a beato Parente in puella nobiliſſima feliciter exciſum, quam operationem ob locum incommodiorem multi Chirurgi perficere negaverant. Quando autem efficaci medicina tolli debent hi tumores, ante omnia videndum eſt, ut tota membrana ſeu veſicula, cui materia includitur funditus auferatur & exſtirpetur, vel ipſa ſectione, vel ſi illud ob loci conditionem impoſſibile ſit, medicamentis conſumentibus. Alias enim redeunt, & eandem pariunt moleſtiam; quoniam per ductus iſtos veteres novæ materiæ patet ingreſſus.

Anno MDCLIV. menſe Februario villico Kobbelſtorfienſi tumorem magnitudine nucis juglandis ſuperiori palpebræ inhærentem exſcidi, qui propter gravitatem oculum continuo claudebat. Inciſione ſcilicet cutis in formam crucis facta, ea qua potui diligentia, tumorem propria membrana comprehenſum ſeparavi, & portiunculas quasdam, quæ ob ſangvinis profluvium, & ſubtilitatem cutis ſubjectæ commode prima vice ſeparari nequiverant, ſequenti luce cultro inciſorio exemi. Totum tumo-

rem replebat materia calci, aut gypſo ſimillima. Conſolidavi poſtea vulnus inflictum; & rediit palpebræ vigor ſolitus & mobilitas.

OBS. XXII.

TUMORES IN CAPITE MATERIAM MUCILAGINEAM INCLUDENTES.

EOdem anno fæminæ duos tumores magnitudine ovi gallinacei, ſummæ fronti inſidentes exſcidi dicta methodo; Membrana, cui includebantur firmiſſima erat, & dura, corneæ oculorum tunicæ ſimilis. Materia erat mucilago nigricans, quæque ſuo colore tinxerat interiorem membranæ ſuperficiem. Coiit poſtea vulnus, & nullum relictæ materiæ veſtigium unquam apparuit. Anno MDCLX omnibus modis ſimili tumore, ſed majori in poſtica capitis parte hærente aliam fæminam liberavi. Membrana vero craſſior erat, & propter colorem materiæ nigra.

OBS. XXIII.

TUMOR IN CARPO MATERIA MELLI SIMILI REPLETUS.

ANno MDCLV. opem meam efflagitabat Sutor tumorem gerens in junctura manus nucis juglandis magnitudine, qui impediebat, quo minus labores conſuetos commode ſuſtinere potuerit. Arbitrabar ganglion eſſe, quod durus eſſet tumor, & commoveri & varie protrudi poſſet. Hærebat profundius inter tendines & ligamenta, quæ in juncturis manuum copioſe reperiuntur. Ut autem melius & tutius etiam prædictum tumorem a circumjacentibus partibus ſeparare poſſem, cu-

te

re externa prius diſſecta, filum mediante acu per eum trajiciebam, quo firmiter detineretur: Sed præter omnem opinionem per foramina iſta licet minora confeſtim penetrans materia tenax, mellique depurato perſimilis, tumoris collabaſcentiam efficiebat, & operationem non modo difficilem, & longam, ſed etiam maxime dolorificam reddebat. Metuebam ne aliquid de cuticula materiam hanc melleam concludente relictum ſit, quod ob allegatas difficultates integre ſeparari nequiverit; imponebam itaque parum Mercurii præcipitati alii ungvento commixti cavitati, & coalitum vulneris tam diu impediebam, donec evidentia funditus exſtirpati tumoris ſigna apparerent. Vulnere tandem perſanato, integre valuit manibus homo, & nunquam excreſcentia rurſus apparuit.

OBS. XXIV.

TUMOR MATERIAM CASEO SIMILEM CONTINENS.

MAtronæ cuidam nobiliſſimæ prope ſpinam dorſi paulo infra ſcapulas tuberculum piſi circiter magnitudine exſurgit; quod ſine doloribus per aliquot annos geſtans nullum aliud incommodum inde ſenſit, quam quod ſucceſſive mole ampliaretur. Quoniam vero amicula eo tempore, volente ita ſtatu, oſſibus balenæ interſutis rigida erant; tumor iſte ovum gallinaceum magnitudine æquans anno MDCLX menſe Martio valde compreſſus & inflammatione primum affectus, tandem crepuit. Vocabar in auxilium, ut vulneri mederer, & dolores, qui late ſeſe extendentes ipſum pectus occupabant, lenirem. Sectionem averſabatur fæmina, & in medicamentis omnem collocabat ſpem. Suppurantia itaque adhibebam, interdum etiam Mercurii præcipitati pulverem, quibus quidem efficiebatur, ut magna vis materiæ tenacis & caſeo nondum totam conſiſtentiam na-

cto ſimilis ejiceretur , & ipſe adeo tumor ita imminueretur, ut minimum ejus reſtaret. Sed temporaria erat felicitas , & brevi tempore in eandem elevabatur locus magnitudinem. Cum itaque videret prudentiſſima matrona, mali pertinaciam omnibus noſtris conatibus illudere, conſenſit tandem in ſectionem. Perficiebatur ea feliciter die decimo Junii. Radix tumoris erat tendinea, circa quam prædictæ materiæ ſed durioris aliquid hærebat; & originem ſumebat ex interſtitio coſtæ alicujus, ubi cum vertebris dorſi connectitur. Toto deinde vitæ tempore nullum apparuit novi tumoris veſtigium.

OBS. XXV.

SIMILIS ARGUMENTI HISTORIA.

EOdem anno Sereniſſima quædam perſona moleſtias ſimilis tumoris paulo ſub ſupercilio perferebat, quarum pertæſa volebat ut ſe iis liberarem : aperto eo tenacem materiam ſuperiusque deſcriptæ ſimillimam exturbavi ; impoſitoque emplaſtro de gummatibus ſine ulteriori ſectione ad priſtinam ſanitatem partem affectam perduxi.

OBS. XXVI.

ABSCISSIO VERRUCÆ INFELICISSIMA.

MUlier ſexaginta quinque vel ſex annorum oppidi Schweinitz incola menſe Decembri anni MDCLXII verrucam, quam prope dextram naſi alam in mala geſtabat, quæque faciem dedecorabat, abſcindit, rata, hoc quicquid eſſet vulneris brevi occluſum iri cute; ſed fefellit opinio, & quamvis ſedulam navaverit operam, ad coalitum perducere nequivit vulnus, quin potius late ſeſe illud extendit, & vicinas partes in conſen-

ſenſum tractas fœdiſſima labe infecit. Videns autem mulier in quod ex tam levi cauſa inciderit infortunium, apud me anno MDCLXIII. die decimo quinto Maji quærebat auxilium. Tota mala dextra nodis durioribus & ſplendentibus paſſim elevatis defœdata, interque eos tota cum ala dextra naſi usque ad oculum exeſa cancroſo habitu conſpiciebatur. Nodi iſti diſſecti lardum referebant. Dolor tamen valde magnus non erat. Varia interna externaque ſtatim adhibita ſunt remedia, quibus tamen nihil amplius effectum eſt, quam ut ulterior mali progreſſus prohiberetur. Ferrum tandem ad manus ſumens illud quod corruptum erat, quantum quidem locus & circumſtantiæ permittebant reſecui. Brevi tum ſuccrevit laudabilis & ſana caro, quæ ope aquæ viridis mihi uſitatæ ſatis brevi tempore a corruptione nova munita & cute etiam tecta eſt, usque ad locum ubi verruca abſciſſa erat: Is vero ternarii præterpropter magnitudinis omnem medelam ſpernens cutem ſibi induci non patiebatur, quamquam omni ſtudio in id incubuerim. Origo ſcilicet & fundamentum totius morbi hic latebat, cui eruendo & ſubvertendo medicamenta non erant ſufficientia. Cauterio itaque actuali hunc locum usque ad os inurendum eſſe proponebam, ſi quidem conſtans faciei integritas redire deberet. Sed hanc operationem plane abhorrebat patiens, & admittere nolebat, quod non parum crudelitatis involveret: Credebat potius, quoniam aqua laudata viridis hactenus profuerat, eandem etiam cum conſvetis emplaſtris totam curam cum tempore abſoluturam; horumque ſufficiente quantitate accepta domum ſeſe contulit. Sed & hæc ſpes fefellit: Cum enim per novem menſes domi vixiſſet, rediit ad me, opem rurſus petens, quod reſtans in parte, ubi verruca ſederat, virus ſeſe ultra ſpatium Joachimici magnitudine circum effuderat. Quoniam autem altius egerat radices malum, perfectam curam aſpernari videbatur, præprimis quod ignem nimium pertimeſcebat mollis fœmina. Porrigebam tamen talia medi-

camenta, quæ palliative proſunt, ſimul monens, ut bene caveret, ne fidat illis qui integram perfectamque ſanitatem in præſenti affectus ſtatu promitterent. At enim vero quid non efficit & ſanitatis deſiderium & empiricorum grandiloquentia? Balneator enim quidam poſtquam multa de affectu diſputaſſet, promittit eundem cito & tuto curare, ſi pretium ſex Joachimicorum perſolvere non recuſaret mulier. Conveniunt ſtatim de eo; Et balneator ad exturbandum malum Mercurium ſublimatum atque Arſenicum corroſæ jam dum parti imponit: Inde vero tam atrox dolor, tumor & inflammatio faciei cum lipothymiis orti ſunt, ut de vita deſperaverit ægrotans. Confugiebat ea rurſus in hac miſeria ad me. Temperantia quædam interna & externa præbui, quibus ſævities medicamenti ſuperata eſt. Dimidius vero naſus cum tota mala usque ad inferiorem palpebram exeſus miſerrimum exhibebat ſpectaculum. Poſtea emplaſtrum diapalmæ cum pauco plumbo uſto mixtum geſſit, & locum aqua viridi interdum tetigit, hacque ratione impedit ne malum ulterius ſerpat. Cæterum ad mortem usque ſine dubio hunc ſordidiſſimum moleſtiſſimumque trahere debebit morbum.

OBS. XXVII.

AVULSIO VERRUCÆ CURATA.

IN idem facile periculum incidiſſet anno MDCLXVII filia Cantoris Scholæ Illuſtris. Cum enim eodem fere loco verrucam geſtaret, & dignitatem faciei ea imminueret, pater filo injecto eam evulſit. Serpens malum fieri potuiſſet niſi eidem ſtatim iviſſem obviam, moleſto enim prurite & dolore vicinis partibus jam incommodabat. In initio etiam medicamentis illudebat, ſed poſtquam internis remediis, veſicatoriis & frictionibus in dorſo ſangvinis impuritatem correxi, & catarrhum cohibui, dolores magnos anodynis ſuppreſſi, & tandem Mercurio

præ-

præcipitato bene præparato totum malum funditus exſtirpavi, & vulnus cute obtexi.

Variis affectibus morboſis expoſita eſt externa corporis ſuperficies, quæ cute & ſuperextenſa cuticula maximam partem circumſcribitur. Nec multum munimenti vaſis tum ſangvineis tum aliis hic relictum eſt, quod cuticula tenuis exiſtat; & vel voluntario vel a fortuitis abradatur, atque adeo vaſa & ductus ſubjecti lædantur. Præterea etiam internæ cauſæ contextum vaſorum cutem ſimul conſtituentium depravare poſſunt, ut exterius vitia illa appareant. Recenſuit Alexander Alexius *Cratyl. Morb. L. II. cap. I.* morbos cutis octodecim; ſed plures, ſi poſitus ab eo numerus retineri debet, neceſſario addi debent. Verrucæ omnino ad cutis morbos pertinent, ut alios hac vice non allegegemus. Ab una autem cauſa tantum non omnes dependere dici poſſent; fibrarum ſcilicet varia mutatione & diſtorſione, ſive ea ab externis vel internis inducta fuerit. [Niſi quis lentigines, & paucos forte quosdam excipere velit, quorum ſubjectum non eſt cuticula aut cutis, ſed reticulare corpus cuticulæ ſubjacens. Oculis enim microſcopio armatis cum conſiderantur lentigines, cuticula integra deprehenditur & incolumis, & ejusdem cum reliqua coloris, alba ſcilicet. Si vero irritentur, cruſtula exſurgit, uti cum Honoratiſſimo Doct. Wagnizen occaſionem primo ſuppeditante obſervavimus. Cauſa ergo lentignum eſt humor viſcido mucoſus ſub cuticula ſtagnans.] Si enim leviter ſaltem afficiantur ductuli, aut aliquomodo diſtorqueantur, & motus humorum minimum impediatur, puſtulæ oriuntur, atque vel inſenſibiliter vel exigua præſtita opera evaneſcunt. In ſcabie e contrario ejusque ſpeciebus major longe eſt & ſangvinis lymphæque acredo, & ſuperficiei corporis depravatio, ut multum ſæpius faceſſat Medicis negotii.

Ubi vero nerveæ cutis tunicæ fibræ obſtruuntur aut irritantur, ſuccus earum in motu vel progreſſivo, vel, ob obicem

 poſi-

poſitum, inteſtino auctus expanſionem molitur, & cedentibus fibrarum ſtratis eminentiam facit, quæ a fundo fibrarum ſuper ipſam ſuperficiem extenditur, & ob infarctum vel arctiorem fibrarum in ſuis qualitatibus mutatarum & inverſarum & elongatarum accubitum durum tandem conſtituit tuberculum, quod verrucam appellamus. Si quis eas accuratiori & munito oculo intueatur, clarius apparebit, faſciculum quaſi fibrarum eſſe, eumque nunc arctius nunc laxius comprehenſum, tumque utriculorum in modum expanſæ veluti ſunt. Novit Excellentiſſimus Dolæus ruſticum mille verrucis per totum corpus diſperſis infectum, qui a ſola aquæ frigidiori immerſione Verrucas ſe acquiſiviſſe faſſus eſt. *vid. Encyclop. Chir. Rat. L. V. cap. XIII. p.* 1265. A contactu urticæ verrucas etiam excitari notum eſt, quatenus hamulis ſuis & uncinulis in cute relictis magnum & diuturnum ſatis pruritum faciunt. Non minus etiam ab ipſa dilaceratione oriuntur hæc in monticulos ſurgentia tubercula, quando cutis ungvibus nimium ſcalpitur; quemadmodum videmus a corroſione fibrarum arboris tubera enaſci. Sed hæ externæ & violentiores fuerunt cauſæ. Sangvinem tamen ipſum tali particularum genere gaudere, quæ verrucoſos non tantum hac moleſtia augere, ſed etiam eandem diſpoſitionem in aliis excitare valeant, eo ipſo docetur, quod contagioſæ deprehendantur verrucæ. Hoc quidem palam eſt, mutua manus ſanæ cum verrucoſa frictione labem iſtam propagari; item ſangvinem ex læſa verruca profuſum & cutem ſanam attingentem ſimiliter verrucas produxiſſe in nobile quodam obſervavimus: ſed illud jure admireris, quod contagium per corallia, adeoque leviter communicetur: *Acciderat Virgini*, ſcribit Eruditiſſimus Pechlinus Obſ. L. II. obſ. XLIV. *ut cum collare corallinum alteri ſociæ prope cervicem verrucoſæ utendum dediſſet, ſtatim & ipſa, cum collare reciperet & collo circumdaret, verrucis ea parte infeſtaretur.*

Ad exſtirpandas verrucas multa proſtant remedia, tam u-

tilia

tilia quam fabuloſa & ſuperſtitioſa, ut iis recenſendis tempus & charta perdantur. Multa videri poſſunt apud Foreſtum *Obſerv. Chir. Libr. IV. Obſ. X. ſq.* multa apud alios. Utilis autem in cura earum regula Foreſti eſt c. l. Obſ. XI. p. 136. *Univerſaliter ad omnes verrucas faciunt medicamenta quæ conſumunt & reſiccant.* Circa conſumentia vero legitima adhiberi debet circumſpectio, ne vel nimis vehementia ſint, vel ita applicentur, ut circumjectam cutim tangant.

OBS. XXIIX.

DOLOR BRACHII LETHALIS, CUM SCIRRHO MAMMÆ.

MUlier quinquaginta annorum, carpentarii uxor ab aliquot annis graviſſimos interdum perpeſſa erat dolores, totum brachium dextrum ab humero usque ad extremam manum occupantes. Ceſſerant tamen ſæpius uſui remediorum domeſticorum. Cauſam evidentem aliam allegare ſciebat nullam, quam mœrorem & iram devoratam ſæpius quam emiſſam; quos animi affectus infelix concitaverat matrimonium. Novum acceſſerat infortunium anno MDCLXVII, circa Paſchatos feſtum, fruſtum enim ligni quercini vigintii circiter librarum ex tabulato decidens impingit in mammam dextram, ibique tumorem excitat, qui tamen poſt adhibita communia remedia eo usque evanuit, ut durus tantum nodus quidam nucis avellanæ magnitudine remanſerit prope papillam ſine magno dolore: Mamma tamen ſucceſſive corrugata quaſi & durior facta fuit. Eodem anno circa feſtum Michaëlis dolor brachii tanta vehementia recruduit, ut conſuetis medicamentis, ut ut diligenter adhibitis nullus fuerit uſus. Auxilium huic maritus quærit apud ruſticum prope oppidum Delitſch in pago viventem, de quo fama erat inter plebem, eum artem medicam callere; is urina inſpecta gra-

viter pronunciat, morbum, qui affligeret mulierem, ita pertinacem eſſe, ut tolli nequeat: Porrigit tamen medicamenta, quæ licet uſurpata nullius fuerunt efficaciæ. Cum autem dolores magis magisque increſcerent mea opera remiſſionem & tandem ablationem dolorum poſſe conciliari ſperans mulier, me anno MDCLXIIX die vigeſimo quarto Februarii ad ſe accerſivit. Doloribus brachii excruciabatur fere intolerabilibus, totum vero brachium, quod obſervatione fortaſſis non ita frequens eſt, tumore œdematoſo extenſum erat: Præprimis dolor in digitorum apicibus atrox erat. Mamma quaſi lapidea tertia parte altera minor conſpiciebatur, eum fere in modum prope papillam corrugata ac ſi ferrum candens corio impoſitum fuiſſet madido, reliqua ejus circumferentia etiam induruerat, immobilisque coſtis adhærebat usque ſub brachio. Vaſa vero ſanguinea non ita intumuerant aut prominebant quemadmodum in cancro. Color fuſcus erat rubro quaſi permixtus, muſculi pectorales ab humero & claviculis valde tenſi erant. Ex quibus ſignis verum exquiſitumque Scirrhum mammam obſidere credidi. Referebat porro mulier menſium fluxum a lapſu ligni in mammam deſiiſſe. Balneatorem, addebat, propter dolores brachio tam ſæpe cucurbitulas ſcarificatas impoſuiſſe, ut ipſe tandem dixerit, ſe nolle amplius ſcarificare brachium, quod nullum inde eluceat vel proveniat emolumentum. [Non dubito autem, quin hac tam ſæpe repetita cruentatione plus damni brachio concitatum ſit.]

Relatæ hæ circumſtantiæ gravitatem morbi ſatis indicabant, nec ego proinde curam ægrotæ habere aliter ſuſcepi quam præmiſſo prognoſtico. Primo purgavi corpus, & tertio die poſt venam in pede aperui. Mammæ impoſui Emplaſtrum contra Scirrhum a Lamberto Wolfio & Coſma Slotano quondam inventum, & a Guil. Fabricio Hildano Cent. III. Obſ. XXXIIX ſequentem in modum deſcriptum: Sumatur Radicum Bryoniæ, Cyclaminis, Helenii, Cucumeris aſinini ana uncia una: Coquantur in æq. p.

Vini

Vini & aceti quantum ſufficit, poſtea contundantur & trajiciantur per cribrum, admiſceatur poſtea Radicum Iridis florentinæ, & Ariſtolochiæ rotundæ, Myrrhæ, Maſtichis, Croci ana drachma una cum dimidia. Florum chamomillæ meliloti, ſambuci, ana pugillus unus. Gummi Opoponacis, Sagapeni, Ammoniaci, Bdelli, Galbani, in ſpiritu vini diſſol. ana uncia media. Gummi Hederæ, Styracis Calamit. ana drachmæ tres, Euphorbii drachmæ quinque, Seminis Staphidis agriæ, duæ drachmæ cum dimidia, Mercurii vivi ſaliva jejuni hominis exſtincti duæ unciæ, Olei Liliorum alborum, Ovorum, Oeſypi, ana drachmæ quinque, Adipis anſerinæ, anatum, axungiæ porcinæ, Medullæ oſſium vituli, ana uncia una; Mucilaginis ſeminis Lini, fæni græci, radicis althææ ana uncia una; Ex his bene commixtis cum cera & terebinthina fiat juxta leges artis emplaſtrum. Toti vero brachio ſequens, quod in doloribus artuum catarrhalibus ſæpius magnæ fuit efficaciæ applicui, componitur ex Olei chamomillæ, terebinthinæ ana unciis quinque, Reſinæ, Ceræ ana unciis tribus, Pulveris florum chamomillæ, abſinthii, herbæ ſabinæ, ſerpilli, ſeminis fœni græci, baccarum lauri ana uncia integra, fiat l. a. emplaſtrum, cui, ſi fere refriguit, Olei philoſophorum drachma integra addi debet. Inde ſpatio duorum dierum dolores quodammodo remiſerunt, brachiumque detumeſcere cœpit. Sed fallaces fuerunt induciæ, & brevi rediit antiqua moleſtia. Cui tollendæ ſpiritum ad artuum dolores mihi uſitatum adhibui; præparatur is ſequenti methodo: Spiritui vini rectificato induntur lumbrici terreſtres, allium, flores Lavendulæ, ſalviæ, ſerpilli, chamomillæ, grana Juniperi in ſufficiente quantitate, poſtquam per aliquod tempus in digeſtione fuerunt, deſtillantur, camphoraque ſimul ſolvitur. Ex hujus uſu in initio bene etiam habuit, ſed & hic nulla fuit conſtantia: Perſtiti tamen in ejus uſu, ratus, mali pertinaciam tandem fractum iri. Dum hæc aguntur, tertio die Martii menſes rurſus profluere cœperunt, unde in ſpem omnes erigebamur ſanitatis recuperandæ, tumor

etiam brachii paruper remiſit: Sed nec hæc diuturna fuit lætitia, & tumor cum dolore rurſus mirum in modum increvit, quæcunque etiam in uſum vocarentur remedia, ut de die & nocte nullam caperet quietem quam pulvere anodyno propinato. Hac ratione ſæpe aliqualis remiſſio apparuit, quæ tamen ultra quatuor aut quinque dies non duravit. Tandem brachium totum hydropicum factum calore amplius perfundi non poterat; die quinto Aprilis ſcarificationes fiebant quibus multũ aquæ profluxit: Die vero vigeſimo ſecundo magnus calor totum latus dextrum & mammam ſiniſtram alias ſanã occupabat, brachii vero ægri manus frigida erat, fuſca, & aquea humiditate extenſa; ita quidem ut metuerem gangrænam. Adhibebantur ſtatim conſilio Domini Medici remedia quæ dolorem quidem aliquo modo imminuebant, durities tamen & inflammatio perſiſtebant: Tandem veſiculæ elevabantur multam continentes aquam flaveſcentem, & brachium de duritie remittens molliuſculum fiebat, & foveæ ex impreſſione digiti relinquebantur, vel tarde rurſus evaneſcebant; Brachium vero priſtino naturalique perfundebatur colorem. Die vigeſimo quinto hujus menſis vaſcula ſangvinea ſub cuticula fluido ſuo hinc inde effuſo colore fuſco infecerant brachium. Die tandem vigeſimo ſeptimo Hemiplegia in ægroto latere ſuperveniens pertinaciſſimorum dolorum, & omnium miſeriarum exoptatiſſimum die vigeſimo nono faciebant finem.

Illud præterea monendum, mammæ ſcirrhum non majorem per totum morbi curriculum creaſſe moleſtiam; ſed potius per medicamenta applicita magis magisque decreviſſe, imo de duritie aliquo modo remiſiſſe. Videbam igitur, maximos iſtos dolores, eorumque incrementum non mammæ morbo in acceptis ferendum eſſe; præprimis cum ante læſam mammam doloribus multis laboraverit: Licet autem tunc diſtinctis temporibus ceſſaverint & redierint, poſtea vero conſtantiſſime duraverint, illud tamen vehementiæ affectus, & debilitatis partibus brachii ex lon-

ga ægritudine adſcribendum venit. Reſiſtit per aliquod tempus natura, tandem ſuccumbit, & morbi omnem ſuam vim libere exercent.

Licet nihil æque in nobis contra naturam ſit, quam dolor, mortalem tamen neminem eſſe quem non attingat dolor, vetuſtiſſima & quotidiana conſtat experientia. Non tantum enim externis äeris, aliorumque fortuitorum injuriis expoſitum eſt humanum corpus, ſed ſæpius hoſtem ſuum intus alit, Salia videlicet diverſi generis, & alia peregrina, quæ levi data occaſione perniciofas concitant ſeditiones. Iſta ingratiſſima & maxime moleſta ſenſatio menti ſoli proprie competit, nec ad corpus refertur, quam quatenus partes hujus in ſitu, ordine, aliisque modis magis vel minus turbantur vel præter naturam afficiuntur. Cognovit hoc prudentiſſimus Senex, quando aphoriſmo ſecundo Sect. II. pronunciat: *Quicunque aliqua corporis parte dolentes, plerumque dolores non ſentiunt, his mens ægrotat.* Quaſi dicat, occaſio quidem doloris adeſt in corpore, & actu ipſum vel ejus partes male habent, ſed quia mens in ſuis actionibus morbo impeditur, hanc affectionem non percipit.

Eſſentia itaque doloris ratione mentis eſt perceptio ingratiſſima, unde triſtatur, & objecti hanc ſenſationem efficientis abſentiam optat. Ratione autem corporis in vehementiori fibrarum nervearum, & ruptionem veluti minantium, & re ipſa tandem ſolutarum commotione varia conſiſtit. Quando ergo mentis corporisque affectio talis concurrit, dolor appoſite & recte dici meretur. Senſibiliſſimæ in corpore partes ſunt nervi, qui in paſſione hac læduntur, quod magis patet, quando experimur, partes corporis quæ vel nullis vel paucioribus gaudent nervis aut nullam aut leviorem perceptionem in mente ob læſionem factam excitare. Non enim videtur ipſiſſima doloris cauſa vel in regurgitatione, vel excandeſcentia vel tumultu ſucci nervei ponenda eſſe, quod confuſa potius inde mentis perceptio fiat, &

mens de hoc vel illo membro, membrique parte dolente ſatis certa eſſe nequeat. Ipſa etiam de ſpiritibus animalibus hypotheſis, quales Autores quidam ſibi concipiunt, multis prematur difficultatibus. Quatenus vero nervi continui ſunt & tenſi, motus ille peregrinus & externus menti rectius innoteſcit, & inde atque ſimul per conſvetudinem hoc vel illud membrum laborare accurate cognoſcit.

Major vero ſolito & vehementior debet eſſe nervearum fibrarum iſte motus, quod naturaliter & in actionibus regularibus commoveantur, tendantur alioque modo ſeſe habeant. Deinde poſſunt etiam nervi irregulariter quaſi,&magis quam naturaliter affici, unde tamen nullus exoritur dolor, uti in titillatione & frictione experimur. Pro habitudine etiam nervorum, & conſtitutionis corporis obſervamus, dolores vel ſentiri vel non, majores aut minores eſſe, prout nervi teneriores ſunt, vel firmiores, hinc videmus ſimiles labores diverſiſſime afficere duos homines: Et hos gravius ferre morbum quam alios, cnm illi ad leves dolores ſtatim ingemiſcunt, hi fere eos non ſentiunt. Nec conſvetudinis hic exigua eſt efficacia: Doloribus etiam ipſis tandem aſſveſcimus. Longum eſſet per multa ire morborum genera; nephritis & cephalalgia ſatis noſtram confirmant ſententiam, quibus affectibus laborantes ex habitu quaſi quodam occalleſcunt, nec iis doloribus moventur, qui aliis ſenſibiliſſimi & moleſtiſſimi eſſent. Ita quidem, ut ſi eos dolor proprie dicendus afficere debeat, nervi vehementiſſime commoveri, vellicari aut aliis modis lædi debeant.

Quam vero neceſſaria in hiſce ſit mentis attentio & præſentia ex eo apparet, quod ſine ea dolor ne quidem dici poſſit. Non dicam aliquos tam late, tamque efficaciter dominari ſuis paſſionibus ut dolorum acerbiſſimorum ſenſum vultu, alioque modo non prodeant, atque adeo antiquis Stoicis fere adjungendi veniant, quale quid de illuſtri & conſummatiſſimo quodam JCto calculo veſicæ ſupra modum excruciato accepimus. Sed & illud

expe-

experientia conſtat, mentem aliquos in oculos vel aures interdum veluti transferre, ut admonitiones moleſtas a corpore datas non advertat. Unde Spectacula varia, ludique, Muſica, & amica confabulatio dolorum ſenſum adimunt, licet cauſa eorum perpetuo adſit. Majus dictis momentum addit profundisſima Meditatio, & extaſis, in quibus ſuo proprio ſeſe corpori mens veluti ſubtrahit, ut motus corporeos non percipiat, ſoli DEO vel alii rei ſeriæ unice vacet. *Confer. Iter per mundum Carteſii.* Nec præter inſtitutum ſit allegare Archimedem captis Syracuſis in cœli ſiderumque contemplationem intento animo, ac nihil eorum ſentiente quæ per hunc tumultum gerebantur, ab ignoto milite, fruſtraq; ſciſcitato quis eſſet interfectum eſſe; *vid. Petav. Rat. Temp.* Sentiunt quidam dolores quaſi in pedibus vel manibus, quæ membra tamen amputata ſunt, ut adeo manifeſtum ſit dolorũ ſedẽ non in corporis partibus, ſed in ipſa mente, occaſionem autem in corpore eſſe. Ex quibus quidem eluceſcere arbitramur, violentiam quandam hic requiri, & perceptiones iſtas dolorum diverſas eſſe pro hominum diverſitate; deinde absque mente, aut ejus præſentia & attentione dolores proprie dici non poſſe.

Res autem quæ dolorem in nobis excitant valde diverſæ non tantum, ſed etiam multæ ſunt; hinc variæ dolorum denominationes ſuam ducunt originem, ut nunc pungentes, ſcidentes, contundentes, nunc aliter appellentur. Partes etiam corporis nomen iis imponunt, ut pulſatorius, oſtocopos etſ. dicatur, nec aliud cephalalgia, nephritis, odontalgia, pleuritis, &c. notant, quam partium diverſarum in corpore dolorem. Obſervatur in doloribus interdum ſingulare aliquid. Ampliſſimus Tulpius reciprocum capitis dolorem annotavit *Obſerv. L.* I. *c.* XIII. Laudatiſſimus Dekkers dolorem ſiniſtrum brachium ſingulis pleniluniis occupantem obſervavit *Exerc. Pract. cap.* II. *pag.* 70. Excellentisſimus Albinus in mediæ ætatis Viro notavit dolorem in tibia, quem ternario texiſſes, qui ultra decennium omnia externa pari-

ter & interna ſine numero adhibita ſprevit, ſoloque opio crudo ad drachmæ ſemisſem circa noctem, tunc enim ingruere ſoluit, aſſumto aliquam requiem concedentem. *Diſſert. de Atherapeuſ. Morb.* §. 10. & nos intime novimus Virum moleſtiſſimis brachii doloribus aliquando laborantem, ſed præprimis in flexura cubiti in tendine, loco certe qui obolo facile tegi poſſet. Quatenus vero ex majori dolore motus ſpasmodici concitantur, remora poteſt poni circulantibus humoribus, ut lympha non tam promte ſeparata ad receptacula tardius vel non omnis deferatur. Accedit, partes debilitari ex longa paſſione; variasq; in ſanguine humoribusq; partes peccare. In Anaſarca ut ut communiter ſomnolenti ſint ægri, in fœmina tamen hoc morbo laborante vigilias moleſtiſſimas obſervavit Cl.Dekkers, ut retulit in Collegio Caſuali.

OBS. XXIX.

MORTIS VIOLENTÆ INCERTA INDICIA.

Puero novem annorum die decimo nono Februarii anno M DC LXXX. contunditur ab alio abdomen, procidit inde in terram, ſurgit tamen, & domum perveniens ſcamno pone fornacem ſeſe inſternit, lachrymasque profundit. Rogatus ab uxore quadam easdem ædes inhabitante, eorum quæ facta erant tum ignara, an febri rurſus corriperetur, [laboraverat enim febri quartana primo ſimplici tandem duplici per integrum cum dimidio annum, quæque ante paucas hebdomadas ipſum reliquerat] negative reſpondit. Paulo poſt ſurgit, & in tabulatum lectumque, qui ibi erat, ſeſe recipit. Periit brevi vox, & ſequenti mane circa horam ſecundam epilepſia ſupervenit: Duravit illa usque ad vigeſimi tertii diei hujus menſis horam octavam vel nonam matutinam, qua animam efflavit.

Requiſiti cum Experientiſſimo Scheubano ab Ampliſſimo Senatu die Vigeſimo quinto Februarii, hora prima poſt meridi-

em luſtravimus cadaver. Facies, magis tamen in latere dextro quam ſiniſtro, item temporum regio, totumque cum artubus corpus maculis rubicundis pulicum morſibus ſimilibus infectum erat. Referebat mater defuncti, easdem ſecundo poſt mortem die demum erupiſſe, cum antea non apparuerint. Cæterum ſceleton quaſi referebat totum cadaver, nullum autem veſtigium a contuſione relictum inveniebatur, niſi quod abdomen colore ex flavo viridi aliquomodo infectum eſſet. Ventre medio & infimo aperto veſicula fellis valde magna, & inteſtina ejus lateris luteo colore intenſe infecta, Veſica urinaria liquore ſuo tota impleta erat: Parum ſanguinis in vaſis erat. Præterea autem nihil quod attendi meruiſſet obſervari poterat. Addebat mater, quanquam circumſtantiis quodammodo dubiis, urinam poſt contuſionem involuntarie profluxiſſe.

Ex quibus eluceſcere nobis viſum eſt, non tam contuſionem primariam mortis cauſam exſtitiſſe, quam febrem quandam malignam ex maculis & convulſionibus judicandam. Cui producendæ antiquus morbus, ex quo vires adhuc dejectæ fuerunt, itaque recens primarium conferre ſymbolum potuerunt.

Si in aliis rebus deliberandum eſt diu quod ſtatuendum ſemel, omnino de vita & morte hominis quando ſententia ferri debet, illud dictum ſummo jure accurate perpendendum venit; quemadmodum jam ſupra quædam huc ſpectantia monuimus. Quod ad læſiones ab externis illatas attinet, non omnia vulnera vel contuſiones, quas mors ſequitur, hujus etiam cauſæ ſemper ſunt. Poſſunt ab ipſo ægro, adſtantibus & externis peccata committi, quæ mortem vel accelerent vel inferant, ipſa læſione parum vel nihil fere ad eam contribuente. Morboſa enim diſpoſitione laborare antea potuit corpus humanum quam læderetur, quæ ad ſummum perveniens gradum vitæ hoc tempore exitum intentet, reque ipſa faciat. vid. Paracelſ. *Chirurg. magn. Libr. I. Tract. I. cap. VII.* & Doctiſſimus Tulpius *Obſ. Med. L. IV. cap. VII.* Eleganter illud exprimit Valerius Maximus, gravis præprimis Au-

tor *Libr.* IX. *cap.* XII. *Fine*, inquiens, *vita noſtræ variis & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant, cum magis in tempus mortis incidant, quam ipſam mortem accerſant.* Interdum etiam vitia corporis tam tecte circumferuntur, ut homini non magnam creent moleſtiam, aut ſuſpicionem majoris periculi incutiant; De Vomica illud patet, ubi humor concretus adeo fæcunde innaſcitur, ut, quæ etymologia Plinii Valeriani L. III. cap. XXIII. apud Barthium eſt, non tam exſcreetur, quam evomatur. De hac veriſſima Cl. Williſii vox eſt Pharmac. Rat. Sect. I. c. XI. p. 203. *Vomica tacite & veluti improviſo in pulmone generatur, & non raro malum hoc non prius ſe prodit, quam patientem interimit.* Quis vero non facile concipit contuſionem, etſ. ruptionem iſtam promovere poſſe, cum de riſu illud conſtet. Similis propemodum ratio eſt cum polypis, qui in momento interdum vitam adimunt. Meminimus gladio vulneratum aliquem, nec longe poſt læſionem acceptam mortuum exhibuiſſe corpore diſſecto polypum in corde magnum, qui impediendo mole & expanſione ſua circulationem ſanguinis vitæ brevi tempore facere debuiſſet finem etſ. ita quidem, ut ex hujus aliorumque conſideratione capitis abſolutus fuerit reus. Deinde quando morbi emaciarunt corpus humanum, læſiones quæ in aliis non ita graves forent, hic mortis occaſio eſſe poſſunt; juxta Plinium enim H. N. Libr. XI. cap. XXXIIX. morbi omnes ſanguinem abſumunt, quemadmodum hæc ex longis morbis obeuntium diſſectio confirmat. In ſanguine autem & vita & robur corporis ſitum eſt, naturaleque is exiſtit promtuarium ſucci nervei, aliorumque humorum ad vitam unice neceſſariorum.

Læſi etiam ægrotantes multis variisque agitari posſunt animi pathematibus, quibus oeconomia animalis turbatur & tandem ſubvertitur: Eſt enim ſpirituum animalium motus inſolitus, quem ſanguinis irregularis agitatio, tandemque partium ſolida-

rum

rum moleſtiſſima affectio ſequitur. Unde quidem ſatis apparet, quo gravior eſt animi paſſio, eo pejorem etiam in corpore produci effectum. Quid non efficit triſtitia, ſuffocatio veluti quædam ſpirituum animalium? Corpus omne, *inquit eruditiſſimus Fernelius Patholog. L.* I. *c.* XVIII. *p.* 142. „ maxime vero „ cor refrigerat & exſiccat, ſpiritus innatumque calorem obterit „ & offundit, vigilias ſiccitate inducit, concoctionem labefactat, „ ſanguinem humoresque incrasſat, exageratque melancholicum „ ſuccum. Quibus ex cauſis corpus atrophia liqueſcit, & in „ marcorem, aliosque frigidos morbos præceps ruit. „ Quæ ſymptomata ut ſaniſſimos proſternere, & naturam veluti totam immutare valent, ita ſi jam læſis aut vulneratis ſuperveniant, non mirum eſt, ſi œconomia animalis graviter imo interdum tam male afficiatur, ut reſtitutio impoſſibilis plane ſit, homoq; morti cedat in rapinam. De moerore Hippocratis vox eſt Libr. II. De Morb. *Cura in viſceribus veluti ſpina eſt.* Quid terror poſſit triſtiſſima recordatione ſcimus, dum febris in puerpera, ceu graviſſime vulnerata, hoc ſolo, ſi humanitus loqui licet, lethalis facta eſt: Et alii vel caſu vel conſilio vulnerati teſtari poſſunt. De ira notiſſimum, quantæ ejus vires ſint, & in antecedentibus illud jam demonſtratum eſt. *Iram*, inquit Doctiſſimus Waldſchmid Prax. Med. p. m. 523. *Vulnerati ceu peſtem fugiant, ira enim ſæpiſſime efficit, ut ex vulnere non lethifero fiat lethale.* Cæterum non ignotum nobis eſt, a paſſionibus etiam, ut gaudio, lætitia, ſpe, fiducia, etſ. multa commoda redundare in ægrotos, ſed de iis non loquimur.

Neque parum in Diæta ſitum eſt, quæ totam fere vivendi rationem complectitur; ex cujus vitiis aut peccatis totus morbus habitum ſæpe mutat. Nil frequentius eſt, quam febres in vulneratis oriri ex mala diæta, quæ vulnerariæ dicuntur, vel ab acido vulnerum morboſo excitatas malo victus regimine intendi. Accedit vulneratos ſtatim poſt læſionem aliquando non recte tra-

ctari,

ctari, vel ob loci incommoditatem vel incuriam, vel alias cauſas : Adeoque etiam vel frigus, vel ebrietatem, vel ineptam Medicinam, vel alia mortis concauſam fieri, quæ circumſtantiæ in judiciis & foro maxime conſiderantur. Temporis etiam in hoc negotio magnum momentum eſt, an ſcilicet Medicus vel Chirurgus ſtatim adhibitus ſit, vel an potuerit propter breve quod vitam mortemque interceſſit ſpatium adhiberi. Deinde neceſſum eſt, an remedia applicari quiverint, & qualia in uſum vocata ſint, bene perpendere. Quemadmodum hæc ex relationibus & reſponſis Medicorum latius patent. Quomodo autem omnes hi caſus & circumſtantiæ Medicis ſemper innoteſcant. Reticentur, enim aliquando, aliquando autem ignorantur, & quæ ſunt alia. An cœli conſtitutiones ſeu conſtellationes hic etiam attendendæ veniant, ut volunt Paracelſ. *c. l. cap.* IV. Bickerus *Chirurg. Hermet. Sect.* I. *cap.* III. §. 10. confer. Celeberrimus G. H. Welſchius *in Curat. propr. & Conſil. Medic. Decadibus*, nondum omni modo certum eſt, cum Aſtrologia judiciaria variis imperfectionibus, opinionibus, inconvenientiis etſ. laboret, imo plane incerta ſit.

Diſſectio autem cadaverum in caſibus qui ante mortem dubii ancipitesque fuerunt, legitimus ſæpe arbiter eſt, quod hac omnes partes oculis ſubjiciantur, & accurate perluſtrari poſſint. In tempore vero inſtituenda eſt, nec tam diu protrahenda, donec viſcera labe infici incipiant, vel corrumpantur; ita enim nullus fere ejus uſus exiſtit. Effuſi enim ſucci corporis in cavitates eam facile brevique tempore diſpoſitionem viſceribus conciliare poſſunt ut Medicus certi nihil determinare valeat, ſanane antea fuerint vel non. Deinde etiam fœtor ex corruptione oriens Medicum & Chirurgum ab accuratiori examine abarcet. Relinquitur ergo, non legitimum aut certum de cauſa mortis ferri poſſe hac ratione judicium ſed conjecturis tantum locum relinqui.

Alio

Alio autem caſu & Anatome juſto tempore & legitime inſtituta incertos ac dubios de cauſa mortis relinquit Medicos, ſi ſcilicet viſcera (ut ſupra monuimus) non deprehendantur ſana, ita tamen, ut inde nondum manifeſto appareat mortem concitari potuiſſe. Quis etiam ſtatum humorum hic cognoſcat? & quæ ſunt alia quæ judicium deciſivum ſuſpendunt. Quo quidem in negotio concurrentibus aliis circumſtantiis de ſervando potius quam condemnando homine cogitabit Medicus & Prætor.

FINIS LIBRI SECUNDI.

SYL-

SYLLABUS OBSERVATIONUM LIBRI PRIMI.

OBS. I. Cerebri vulnus ſanatum.
II. Vulnus cerebri per accidens lethale.
III. Vulnus cerebri inſigne, poſt ſeptem tamen ſeptimanas vulneratum demum interimens.
IV. Magnum cerebri vulnus die ſexto decimo mortem inferens.
V. Maximum magni cerebri vulnus altero die hominem interimens.
VI. A fiſſura cranii poſt quatuor ſeptimanas mors.
VII. Fiſſura capitis ſanata.
VIII. Modiolus ſine commodo adhibitus.
IX. Oſſis baſilaris fiſſura & fractura.
X. Oſſis occipitis inſignis fractura ſanata.
XI. Sudor cranii ſanguineus.
XII. Major oſſis frontis pars ablata, & in ejus locum ſuccreſcens callus.
XIII. Salutaris errhini uſus.
XIV. Ingens Hydrocephalus.
XV. Jactura oculi & tandem mors ex pulvere pyrio tabaco admixto.
XVI. Ex Hemicrania cæcitas & ruptura corneæ.
XVII. Cephalæa catarrhalis cum ſymptomatibus longe graviſſimis.
XVIII. Morbi ſalutares.

XIX. Ve-

OBS. XIX. Venæ jugulares externæ in uno latere diſciſſæ.
XX. Tributum lunare per mammas ſolutum.
XXI. Vulnus cordis ſanatum.
XXII. Cachectici ſimulque Empyici Anatome.
XXIII. Scrophulæ ſeu ſtrumæ curatio.
XXIV. Vulnus thoracem penetrans ſanatum.
XXV. Vertebrarum luxatio ad exteriora lethalis.
XXVI. Repoſitio ſubluxatarum vertebrarum infeliciter tentata.
XXVII. Vulnus ventriculi ſanatum.
XXIIX. Vulnus ventriculi aliarumque partium lethale.
XXIX. Contuſio Abdominis lethalis.
XXX. Contuſio abdominis curata.
XXXI. Profuſio inteſtinorum ex Abdomine lethalis.
XXXII. Inteſtinorum profuſio, eorumque abſciſſio ſine detrimento ægri.
XXXIII. Arſenici devoratio.
XXXIV. Cicuta incautius in cibum adhibita.
XXXV. Anatome fæminæ ex tumore & cancro uteri exulcerato mortuæ, quæ faſcinata credita fuit.
XXXVI. Vulnus & ulcus uteri.
XXXVII. Aliud uteri ulcus.
XXXIIX. Uteri procidentia.
XXXIX. Anatome fæminæ ſtatim poſt partum defunctæ.
XL. Uterus in partu dilaceratus.
XLI. Partus poſt matris mortem.
XLII. Affectus lien, ſubitaque aliarum partium necroſis.
XLIII. Vulnus ventriculi cum ulcere in ingvine communicans.
XLIV. Vulnus inteſtini cum ulcere in regione ingvinis communicans.

OBS. XLV. Fecum per ingvina excretio lethalis, ſeu Bubonocele pro tumore alio habita.
XLVI. Fecum per uterum excretio lethalis.
XLVII. Duo magni calculi ex veſica urinaria fæminæ extracti.
XLVIII. Gangræna lethalis ex calculo.
XLIX. Ingens Teſticuli tumor.
L. Hernia carnoſa medicamentis curata.
LI. Hernia carnoſa medicamentis & ferro curata.
LII. Hernia carnoſa ſectione curata.

LIBRI SECUNDI

OBS. I. Mercurii ſublimati noxa.
II. Fumi ex Mercurio & Cinnabari excitati noxa.
III. Corroſivorum noxa.
IV. Cephalalgia a vermibus.
V. Senſus & motus in brachio defectus.
VI. Gangræna brachii curata.
VII. Gangræna ex interna cauſa curata.
VIII. Gangræna ex interna cauſa lethalis.
IX. Ex contuſione femoris & lumborum ecchymoma.
X. Tumor femoris.
XI. Similis Tumoris hiſtoria.
XII. Tumor femoris poſt febrem quartanam.
XIII. Tumor durus in cruribus poſt hydropem.
XIV. Tumor ingens in femore.
XV. Tumor femoris plane ſingularis.
XVI. Ramenti oſſis deſcenſus & inde Tumor femoris.
XVII. Tumor femoris ingens cum corruptione oſſis.
XVIII. Similis argumenti hiſtoria.
XIX. Tumor cartilaginoſus in gingivis poſt dolores dentium.

OBS. XX. Tumor durus in maxilla inferiore.
XXI. Tumor in palpebra materiam calci ſimilem includens.
XXII. Tumores in capite materiam mucilagineam includentes.
XXIII. Tumor in carpo materia melli ſimili repletus.
XXIV. Tumor materiam caſeo ſimilem continens.
XXV. Similis argumenti hiſtoria.
XXVI. Abſciſſio Verrucæ infeliciſſima.
XXVII. Avulſio Verrucæ curata.
XXIIX. Dolor brachii lethalis cum ſcirrho mammæ.
XXIX. Mortis violentæ incerta indicia.

INDEX RERUM.

ABſceſſus in hepate in capite vulneratis. 30
Abſceſſus in hepate per crurum dolores manifeſtati. 31
Aeris vis in corpora. 2. ſq.
Aer fulgure & fulmine commotus oculis infeſtiſſimus. 53
Aeris in partu vis. 132
Alvi obſtructio cephalalgiæ cauſa. 140
Amauroſis. 54
Anaſarca cum vigiliis moleſtis. 23
Anatomiæ practicæ utilitas. 73
Anatomiæ practicæ defectus. 238
Anatum ponticarum ſanguis venenis reſiſtit. 107
Aneuriſma brachii. 64
Animi commotionum vis. 79
Ancyloblephoron. 50
Antimonii olei vis & laus. 82
Antimonii florum & vitri noxa. 110
Aphtæ ſalutares. 61
Apoplexia cum conſtanti aphonia ex ira. 188
Appetitus an major ex ſomno. 23
Aqua viridis Autoris. 83
Aqua contra Paralyſin Parei. 189
Archimedes meditans occiſus. 223
Arteriæ duæ emulgentes in uno latere. 64
Arteria ſpermatica unius lateris in pingvedine obliterata 64
Arteria axillaris ſimplex 64
Artis in medendo neceſſitas. 302
Ars medica Ægyptiorum cur vitioſa. 202
Aſſeſtra. 50
Auris dolor & abſceſſus in pleuritide ſalutares. 60
Azygos vena duplex. 41

Balneorum uſus. 76
Balneorum uſus in calculo. 152
Balſami ſulphuris terebinthinati male uſurpati noxa. 207
Baſis cerebri. 36
Bruta cur non patiantur menſium fluxum. 67
Butyrum in aqua fundum petens. 115
Cachexia laborantis anatome. 76
Calculo non laborant Turcæ. 152
Calculorum geneſis. 152
Calculorum cauſa. 153
Calculum in veſica ſolventia an dentur. 153
Calculus veſicæ per mucilaginem adnatus. 154
Calculus magnus ſine dolore excretus. 155
Callorum generatio 41
Callus manuum unde. 42
Calloſum corpus. 42
Cancroſus ficus. 53
Capitis dignitas. 1
Capitis vulnera difficilem habent prognoſin. 5
Caput anguſtum. 19
Capitis læſiones immedicabiles ob aliarum partium vitium 34
Caput purgia. 44
Cataracta. 54
Catarrhus quid. 58
Catarrhi cauſa. 58
Cephalalgia ſalutaris. 59
Cerebri læſionum modi. 2
Cerebri vulnera lethalia. 3
Cerebri putredo in uno latere. 10
Cerebri diviſionis utilitas. 10
Cerebrum humanum ſextuplo majus bubulo eſt. 18
Cerebri amplitudo confert ad Sapientiam. 18
Cerebrum pro decremento Lunæ minus. 37
Cerebrum an minus fiat decreſcente Luna. 38
Cerebri humorum pars an per parvos tubulos excretorios in os nareſve deponatur. 45
Cholera non curatur a Natura. 203.
Chylificatio fit attritione. 23
Ciborum ſimplicitas utilis. 152
Cinnabaris non legitime trita excitat convulſiones. 107
Cæli conſtellationum vis an detur. 238
Colica ab eſu piperis & raphani. 108
Colorum origo. 174
Color ruber. 174
Concoctio an melior in ſomno. 23
Contrafiſſura. 23
Cordis involucra. 70
Cordis maximum vulnus poſt aliquot dies lethale. 79
Corporis robur in quo conſiſtat. 12
Circa corroſivorum uſum cautelæ. 182
Cranii oſſa ſtriatim accreſcunt. 41
Criſium cauſa. 24
Critici dies an multum attendendi. 23
Critici dies vulnerum incerti. 25.

Cri-

Criſis mutatione perficitur. 63
Cutis morbi. 225
Dentium magna cura fuit apud Antiquos. 213
Dentes fricabantur variis rebus. 215
Dentes ſenſu gaudent. 214
Dentiſcalpia. 215
Diadochæ quomodo fiant. 62
Diadoſis. 60
Diætæ vis. 237
Diarrhœa ſalutaris. 61
Dolor proprie eſt in mente. 231
Doloris eſſentia. 213
Dolores ut non ſentiantur cauſæ. 232
Dolorum variæ denominationes. 233
Dolor capitis reciprocus. 233
Dolor ſiniſtrum brachium ſingulis pleni luniis occupans. 233
Dolor in tibia ſingularis. 233
Dolor tendinis in flexura cubiti. 234
Effluvia hominum. 80
Emplaſtra contra Scirrhum. 228
Epilepſia ex ira. 188
Errhinorum uſus 43. ſqq.
Facultatum principum varietas opus habet magna quantitate Spirituum. 19
Febris quartana periculoſiſſima. 59
Febris ipſa eſt remedium. 61
Feces alvinæ per foramen in abdomine excretæ. 105
Fermenta non dantur. 66
Figuræ partium corporis conſiderandæ. 20
Fiſſura cranii non ſemper lethalis. 26
Fiſſurarum & fracturarum cranii ſigna. 26
Fiſtula occluſa & aperta pro diverſitate aeris. 3
Foetus in partu partes. 131
Fœtus in utero non reſpirat. 133
Frictio præparatoria. 80
Ganglion abſceſſu in capite exorto evaneſcens. 60
Ganglion imminente partu evaneſcens. 63
Ganglion quid ſit.
Gangrænæ origo. 190
Gangræna ſingularis in Sene. 190
Contra Gangrænam epithema. 191
Contra Gangrænam electuarium. 192
Gelatina concreta in ſuperficie muſculorum in Rheumatico reperta. 58
Gingivarum cruentationis commoda & incommoda. 251
Glandularum omnium munus an ſit ſegregare ſpecialem liquorem. 46
Guajanæ incolæ mortuos non ſepeliunt. 102
Hæmorrhagia maxima ex ramento vitri ſedata. 103
Hectica non curatur natura. 203
Hemicraniæ cauſa. 14
Hemiplegiæ ſingularis exemplum. 14

He-

Hepatis cum diaphragmate coalitus. 72. 76
Hernia ſcrotalis ex ingreſſu in aquam rediens. 144
Herniæ carnoſæ ſigna. 164
Herniæ carnoſæ cura difficilis eſt vel nulla. 165
Herniæ carnoſæ an dextrum latus occupent. 166
Hertz-Geblüthe. 128
Hydrocephalus quando non aperiendus. 49
In Hydrope volatilia non ſemper ſunt utilia. 209
Hyeme cur vulnerati longius vivant quam æſtate. 122
Hypopyi curatio Juſti dubia. 56
Icterus ſalutaris. 61
Icterici anatome. 76
Incantationes. 114
Infantis quatuor menſium excluſio ex utero cum capite putrido. 110
Inflammationis cauſa. 195
Inteſtinorum ſubſtantia. 92
Inteſtinorum glandulæ. 92
Inteſtina an chylum conficiant. 92
Inviſcatio palpebræ. 50
Iræ effectus. 188. 337
Ira eſt affectus nervorum. 188
Iſchuriæ duratio varia. 158
Lagophthalmus. 50
Lentiſci arroſores. 215
Lentiginum cauſa & ſedes. 225
Lepra Græcorum. 68
Lethalitatis vulnerum variæ cauſæ. 235. ſq.
Lienis uſus & officium. 134
Lienem ſibi inurendum curabant athletæ. 134
Lienis ſitus interdum varius. 135
Lienis morbi. 136
Lochiorum fluxus parvus malus. 128
Lumbrici duo in rene dextro reperti. 185
Macrocephali. 78
Mammæ fætuum muliebrium plus ſeri lactei habent quam virilium. 67
Medicamentorum mala applicatio. 108
Medicamentorum neceſſitas. 202
Medici dignitas. 202
Medullæ ſpinalis integumenta. 86
Membranæ pituitariæ ſtructura. 59
Menſium fluxus per mammas. 66
Menſium fluxus cauſa. 66. 147
Menſium fluxus in puella unius & trium quadrantum anni. 67
Menſium fluxus cur in aliquibus nullus. 67
Menſium fluxus per fauces. 68
Menſium fluxus per cruſtas in capite. 69
Menſium fluxus vitia. 150
Menſium ſuppreſſio in gravidis & lactantibus. 67
Mentis integritas unde in cerebro læſis. 10

Mentis hominis nutritio. 19
Mercurius an ſulphur & arſenicum per ſuam naturam contineat. 174
Mercurius an Sal per naturam contineat. 175
Mercurii effectus in corpore. 175
Mercurius homogeneus eſt. 176
Mercurius a communi aqua non multum differt. 176
Circa Mercurialium uſum notæ & cautelæ. 178
Mercurii guttula in cavitate radicis dentis reperta. 214
Meſenterii tumor. 137
Metaſtaſes. 60
Moeroris effectus. 237
Morborum omnium antiquitus non unus fuit medicus. 56
Morbi definitio. 60
Morborum ſedes cur difficulter cognoſcantur. 136
De morbis non apparentibus judicium. 138
Morborum ſedes quomodo cognoſcantur. 139
Morborum genera pauca ſunt. 160
Morbi clam invadunt. 190
In morbis acutis arti ſuus locus eſt & longis. 203
Morſus Viri iracundi. 189
Natura libera eſt. 11
Natura morborum medicatrices. 60
Naturæ humanæ fontes. 70
Naturæ inſufficientia in quibusdam morbis. 203
Nervi olfactorii an ſeroſitates ex cerebro in nares deponant. 44
Numeri ſeptenarii an quædam vis aut efficacia. 79
Oculis apertis an dormire poſſit homo. 49
Oculi dignitas. 52
Oculi tunicæ. 52
Oculi humorum motus circularis. 52
Oculi cancer. 53
Oculi morborum indices. 54
Oculi multis morbis laborant. 55
Ocularii. 56
Oculis commotio gravior noxia. 56
Odontalgiæ cauſa. 213
Odontalgia a pituita. 214
Ad Odontalgiam multa remedia proſtant. 215
Odoratus delicatus. 80
Ophthalmici. 56
Oſſis baſilaris fiſſura & fractura cur lethalis. 34
Os baſilare ex quot oſſibus conſtet. 35
Oſſa in prima ætate mollia ſunt. 35. 40
Oſſa habent arterias & venas. 40
Oſſium mollities. 40
Oſſium nutritio pauciſſimis peragitur. 42

Oſſis

Oſſis durities unde dependeat. 42
Oſſa an habeant nervos. 42
Per Os cribriforme nihil provenit ex cerebro. 44.47
Oſſa in inteſtinis an digerantur. 93.
Oſſibus humanis lethalia infliguntur vulnera. 102
Os diffractum ſub tumore. 212
Palpebrarum officium. 49
Palpebræ ſuperioris inverſio vel brevitas. 50
Palpebræ contractio. 50
Partium genitalium varii morbi. 116
Partus ſine doloribus 128
Partus faciles. 129
Pericardii defectus in glire. 70
Peritonæi proceſſus & diverticula. 145
Pharmacon. 106
Phthiſici manus efficacia. 80
Pilulæ anethinæ. 83
Placentæ uterinæ uſus. 121
Pleuritis & peripneumonia quomodo diſtinguantur. 140
Polypus in corde repertus. 236
Pulmo in uno latere abſumtus. 72
Purgantia male adhibita. 108
Reguli mortis cauſa. 50
Ren ſiniſter a ſtagnante urina valde dilatatus 157
Renes ſuccenturiati majores ſunt in fœtu. 132
Renunciationis de vulneribus fundamentum. 24
Reſolutionis oppoſiti lateris in capite percuſſis cauſa. 11
Retrimenta guſtavit Ariſtophanes. 141
Rhachitis. 85
Rachiticorum infantum ingenii cauſa. 19
Roſarum effluvia oculis noxia. 108
Salutatores. 78
Sanguis ad ſapientiam confert. 11
Sanguinis nigredinis cauſa. 16
Sanguinis rubedinis cauſa. 16
Sanguinis colorum per venæ ſectionem emisſi cauſa. 17
Sanguinis rheumatici conſtitutio. 75
Sanguinis cachectici examen. 77
Sanguis vulpis an calculum ſolvat. 154
Sanguis an in interſtitia partium effundatur. 195
Sanguinis necesſitas. 236
Sanitas perfecta cur rarisſime in hominibus reperiatur. 189
Sanitas in quo conſiſtat. 189
Σχινтρῶγες. 215
P. Schumacheri mors. 159
Scrophularum cauſa. 77
Scroti ſeptum. 162
Semen muliebre. 146
Semen maſculinum an verminoſum. 184
Situs vulnerati conſiderandus. 84

Σκα-

Σκατοφάγος dictus Ariſtophanes. 141
Somni cauſa. 23. 50.
Specificia non dantur. 203
Spectantes Medici. 56
Spina ventoſa mutatione cæli curata. 3
Spina dorſi. 85
Steatomatis ſingularis hiſtoria. 219
Steatoma pugni magnitudine exciſum. 219
Strumarum curatio per tactum manus. 78
Struma a Vitriolo crudo comeſo. 81
Strumarum curatio. 81
Struma inſignis lethalis. 83
Subluxatio. 85
Sudor ſenſibilis & inſenſibilis. 39
Sudor ruber. 39
Suffuſio poſt exhibitum ſudoriferum in cæcitatem abiens. 56
Tabes a connexione p. n. pulmonum cum coſtis. 140
Temperamenti æqualis efficacia. 206
Tempeſtates anni in vulneratis conſiderandæ. 21
Terroris effectus. 68. 237
Teſtes ita flaccidi in homine ut ductuli apparuerint. 40
Thymus glandula major in fæminis quam in maribus. 67
Thymus glandula major in homine non nato quam nato. 132
In Transpiratione magnum ſanitatis momentum ſitum eſt. 38
Trepanatio. 29
Trepanationis indicantia. 29
Triſtitiæ effectus. 237
Tumor quid. 197
Tumor an excitetur a materia acri ſalina. 198
Tumores quidam ſunt morborum reliquiæ. 198
Circa Tumorum inciſionem cautelæ obſervandæ ſunt. 199
Tumorum cyſticorum origo. 218
Tumorum cyſticorum materiæ diverſitatis cauſa. 219
Vagina uteri coalita. 100
Valvula connivens longitudinalis. 92
Vaſa lymphatica cerebri. 46
Vaſa jugularia ſibi inoſculantur mutuo. 64
Venarum jugularium vulnera lethalia. 65
Venenum eſt vox mediæ ſignificationis. 106
Venena in genere reſpectiva ſunt. 107
Venena corrodentia. 110
Venenorum cicuratorum internus uſus. 111
Ventres an ſint hyeme calidiſſimi. 22
Ventriculus exiguus. 119
Vermium generatio an detur æquivoca. 184

Vermes an omnium morborum cauſæ. 184
Vermium geneſis in corpore. 185
Vermium nidus in ventriculo. 185
Vermes ex brachio & manu excluſi. 185
Vermis ex cachectici nare prorepens. 185
Vermes in ſanguine. 185
Verrucarum fiendi modus. 226
Verrucarum conſtitutio & cauſa. 226
Verrucarum contagium. 226
Verrucarum remedia. 227
Veſicæ felleæ defectus. 72
Vires unde ſint. 12
Vitrioli ſal. 82
Viſus debilis poſt graves cephalalgias. 54
Vitrum an ſit venenum. 103
Volatilium noxa. 207
Vomicæ etymologia. 236
Ureteres inteſtini magnitudine. 157
Urethræ inciſio in calculo ſalutaris. 157
Urinæ inſpectio interdum utilis. 141
Uteri hydrops. 97
Uterus vehemens malum. 97
Uterus an poſſit exſcindi ſine vitæ jactura. 125
Vulnera dubii exitus. 101
Vulnera periculoſiſſima ſanata. 102
Vulnera lethalia ob varias cauſas. 102
Uvula relaxata. 58
Zingiber recens habet vim laxandi alvum. 112

Errata Exſtantiora.

PAg. 3. lin. 1. mar. l. mari. pag 9. lin. ult. hacitum l. halitum pag. 26. lin. 23. eſt l. & p. 33. lin. ult. ſphenodiis l. ſphenoidis. p. 45. lin. 15. poſt tantum pone exterius p. 46. lin. 8. delactum l. delatum p. 54. lin. 17. c. l. leg. S. IV. p. 64. lin. 28. & oritur leg. moritur p. 73. lin. 28. a vugere l. augere p. 79. l. 4. poſt autem ponatur animi p. 119. lin. 5. corpori l. corpore p. 134. lin. 3. faciebat l. faciat p. 150. lin. 16 aborti l oborti p. 158. lin. 9. urererur l. uteretur p. 164. lin. 19. poſt effluxu pone aliquali p. 206. lin. 28. tellas leg. tollas p. 230 lin. 18. colorem l. calore.